This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

GI 21
124
WIDENER LIBRARY
HX J98K K
Digitized by Google

G121.124

Harvard College Library

FROM

Francis H. Fobes.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. 1.
X. 48.

# DE EO QVOD SVBLIME EST IN HIS MOSEIS VERBIS

# ΓΕΝΕΣΘΩ ΦΩΣ.

## AD LONGIN. ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ ΤΜΗΜ. Θ'

PRAESIDE

CHRISTOPHORO WOLLIO A. M.
S. THEOL. BACC. ET CONCION. AD D. NICOLAI SABBATHICO

A. D. XXIX. IAN. A. P. C. N. CIↃ IↃCC XXXV

DISSERET

ADAM GOTTFRIED THEBESIVS
HIRSCHB. SIL.
ARTIVM MAGISTERII CANDIDATVS




LIPSIAE EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

Digitized by Google

Gl 21.124
V

HARVARD COLLEGE LIBRARY
GIFT OF
FRANCIS H. FOBES
AUG 30, 1921

Digitized by Google

VIRO

MAGNIFICO. SVMME. REVERENDO
ATQVE. EXCELLENTISSIMO

DOMINO

IOANNI. FRIDERICO
BVRGIO

THEOLOGO. CONSVMMATISSIMO
VRATISLAVIAE
AD. S. MARIAE. MAGD. ADHVC. PASTORI
VIGILANTISSIMO

Digitized by Google

PROPEDIEM. VERO

PRAESVLI. GRAVISSIMO

CVNCTARVM. ECCLESIARVM. SCHOLARVM.QVE

VRATISLAVIENSIVM

EX. OMNIVM. SENTENTIA. BONORVM

DIVINIS. AVSPICIIS. VOCANDO

IN. SACRO. SENATV. A. C. ADDICTO

SENATORI. DIGNISSIMO

IN. QVE

GYMNASIO. ELISABETHANO

S. S. THEOLOGIAE. PROFESSORI. CELEBERRIMO

VIRO. DE

CHRISTIANA. CIVITATE

OPTIME. MERENTI. MERITO. MERITVRO

Digitized by Google

VNICO

SILESIORVM. DELICIO

LITTERARVM. SACRARVM. HVMANARVM.QVE

AMATORI. AC. STATORI

PARENTIS. INTER. COELITES. NVNC. VERSANTIS

OLIM. CONDISCIPVLO. SVAVISSIMO

STVDIA. SVA

CONSILIIS. AMANTISSIMIS

PIIS.QVE. MONITIS

ADIVVANTI

PATRONO. AC. PRAECEPTORI

AETERNA. PIETATE. COLENDO

Digitized by Google

HOC. QVIDQVID. EST. ACADEMICAE

LVCVBRATIONIS

DAT. DICAT. DEDICAT

ET. EAM. QVAE

I P S I V S

SVMMIS. MERITIS

DIGNITATIS. HONORVM. QVE. ACCESSIO

BREVI. FIET

PATRIAE. ECCLESIAE. IPSI

FELICEM. FAVSTAM. FORTVNATAM. QVE. ESSE

VVLT. AC. IVBET

TANTI. NOMINIS

DEVOTVS. CVLTOR

ADAM. GOTTFRIED. THEBESIVS

Digitized by Google

# ARGVMENTVM.

*Hiſtoria conditi orbis ſapienti conſilio initium Sacroſancti conſtituit Codicis*, §. I. *In oratione diuina et ſimplicitas Deo digna*, §. II. *et maieſtas ac grauitas elucere debet. Eximium exemplum* verba *praebent* Moſea, Gen. I, 3. 9. §. III. *In his* Dionyſius Longinus περὶ ὕψους, Sect. VIIII. Sublime quiddam *obſeruauit: cuius et ipſius Graeca verba, quae latum ab eo continent iudicium, recitantur, et elegantiores eorumdem conuerſiones*, Latina Tolliana *et noua* Pearciana, *quin et* Gallica Boilauiana, *vna cum* Italica Goriana, *ſubiiciuntur* §. IIII. *Diſtributio Diſſertationis* §. V. Primum *eximia* elogia, *quibus Longinus* Moſen *ornauit, expenduntur* §. VI. Secundo *anquiritur, num Rhetor ipſe paganus Moſen legerit, idemque, rationibus omnibus cum cura ſubductis, affirmatur*, §. VII. VIII. VIIII. *cum vero* ſemichriſtianum *fuiſſe, inde ſequi negatur*, §. X. Tertio *Moſis et Longini verba inter ſe conciliantur* §. XI. Quarto *Hebraea Moſis verba, auxilio eruditae interpretandi artis, meliorem declarationem ac robur firmius capiunt: vbi etiam, quo Longini valuerit opinio, planum eadem fit opera*, §. XII. XIII. XIIII. XV. XVI. Vltimo *denique* loco, *iactis, quae iacienda erant, fundamentis*, τὸ ὕψος Moſeum, *a Longino intellectum, ex rhetorice ac philoſophia explanandum praecipue ſumitur. Eo conſilio probatur*, Rhetorem *ac* Philoſophum *fuiſſe* Longinum, *quo putat, idoneum ipſum ea de re iudicem eſſe potuiſſe*, §. XVII. XVIII. *Hac re putata, ſublime Moſeum ex propriis Rhetoris verbis eruitur, ac docetur, iſtud et in* eloquutione *et in* νοήσει *hiſtorici diuinitus eruditi quaerendum*, §. XVIIII. Amici Longini, *qui idem tulere iudicium, recenſentur, in quibus primipilum ducunt* Iac. Tollius *et* Nic. Boilauius, §. XX. Aduerſarios Longini, *quorum praecipuus* P. D. Huetius *fuit, indicat* §. XXI. *Sententia de rationibus Tollio-Boilauianis et Clerico-Huetianis, dicta*, τὸ ὕψος *explicatius enodatur, et in* mathematicum *ac* philoſophicum, *hoc autem in* naturale *et* politico-morale *diuiditur*, §. XXII. *Ad* νόησιν *ſi acceſſerit eloquutio*, ſublime, *quod* in verbis *ſitum eſt, vel* in rhetoricum *vel* metaphyſicum *diſtribuendum*, §. XXIII. *His poſitis principiis, ex rationibus omnibus ad calculos reuocatis* colligitur, ſublime Moſeum *non pro* rhetorico, *ſed pro* philoſophico, *ſigillatim* metaphyſico, *habendum, cum in* νοήσει *hominis diuini, tum in* dictione *obtinere*, §. XXIIII. *Quae quum ita ſint, iudicium Longini ab* obiectionibus Clerico-Huetianis *vindicat* §. XXV. *et exemplum partim ipſius Longini, partim elegantiſſima noua, quae* P. Corneille *ſuppeditauit, in auxilium vocat* §. XXVI. XXVII. Vſus Diſſertationis oſtenditur §. XXVIII.

§. I.

HISTORIA orbis conditi, a MOSE, viro diuinitus erudito actoque, deſcripta initium eius conſtituit Codicis, quem vt ſacroſanctum recipimus ac veneramur. Id enimuero non ſine ſingulari DEI IMMORTALIS nutu conſilioque ita eueniſſe arbitror. Lectores etenim, vt primum haſce diuinas euoluerent paginas, principio ſtatim, nihil, quod ab humano profectum ſit ingenio, hic a ſe legi et conſiderari, excitandi omnino et commonefaciendi erant. Recta etiam ratio, ſuis vnice principiis fulta, nullum non erudit mortalium, res omnis compoſitionis expertes, quas elementa vocant philoſophi, qui arcana naturae venantur, primum ex nihilo creatas, tum vero ex his, quae conglutinatae ſunt, coortas eſſe. Atque hoc idem ſacra corroborat hiſtoria, quam vir a Deo doctus contexuit. Haec vero diuinitus patefacta naturalis veritatis confirmatio tanto erat magis, meo quidem iudicio, neceſſaria, quanto minori locus dubitationi relinquitur, philoſophos a Deo auerſos, qui ante natum vixerunt Seruatorem, pleroſque omnes, eo quod rationi minime parerent et obſequerentur, creationi ex nihilo haudquaquam fauiſſe. Itaque flagitabat neceſſitas, vt ex diuinioribus tabulis, id quod accidit, rectiora erudirentur. Namque hae poſtea, quam Dominus ſublimis, vnde venerat, rurſus abierat, eiuſdemque verendi oratores coeleſtem per orbem doctrinam circumtulerant, multo, quam antehac factum erat, auidius diligentiuſque ab iis perlegebantur ipſis, qui deorum ornabant et amplificabant venerationem. Sed reſtabat ſanctius aliquid, et ab hominum cognitione remotius, quod in ſacras referre litteras ſupremo huius rerum vniuerſitatis opifici haud ab re viſum erat. Hoc nimirum: ſe operum ſuorum maximorum abſolutioni et perfectioni ſex ipſos dies tribuiſſe. Hiſtoricus igitur, cuius opera in condenda creationis hiſtoria vſus eſt Deus, ipſa nominatim enarrauit opificia, quae quauis ſeparatim luce ſingulari opera arti-

cifi-

Digitized by Google

tificioque Optimus Maximusque rerum omnium parens et conditor perfecit. Haec autem, quum ab aetate diuini hominis multo disiunctiſſima eſſent, non poterant, etiamſi maxima valuiſſet perſpicacitate, ab eius ingenio manaſſe. Ex quo ſequitur, vt, ſi quis recta praeditus ratione homo non niſi principium ſacroſanctarum tabularum, vnicam creati orbis hiſtoriam, euoluat et cum cura putet, ſine vlla tergiuerſatione, diuinam hic ſubeſſe patefactionem, non poſſit non fateri ac prae ſe ferre.

§. II.

OMNES conueniunt, in Deum decernentem, loquentem et ſcribentem eam in primis cadere virtutem, vt oracula ſua in mille captiones ac tenebras ne inducat, ſed vt natiuae verborum ſimplicitati obediat et obtemperet. Quod ſi enim diuina in aenigma euaderet oratio, ad quod ſoluendum Delio natatore opus ſit: non dubito equidem, fore pleroſque, qui excuſationem ab obſcuritate et quaſi nocte quadam ſanctiſſimis rebus offuſa ducerent aliquam, quo ſuam inſcientiam ſolarentur. Ipſi inter homines, qui prudentia valent, et candore praediti ſunt, omnem perſpicuitati in ſcribendo, vt ab omnibus intelligi queant, nauant operam, nec quisquam ſapiens par eſſe iudicat, in declarandis, quas mente concepit, opinionibus ſic ſeſe gerere, ac ſi gryphos et aenigmata loqueretur. Ab eo, quod ſimplex et apertum eſt, deſciſcere, hominum eſt, qui aliis verba incautis daturi ſunt, et malae ac deploratae cauſſae patrocinantur. Quanto magis Deo, arcana ſua hominibus conſilia patefacturo, hic honos eſt habendus, vt credamus, verbis ipſum perſpicuis, et nulla obſcura nebuliſque obducta circuitione vſum eſſe. In hiſtoria maxime, quae vetuſtatis nuntia iure meritoque vocatur, nihil eſt pura et illuſtri breuitate dulcius: ſi quidem M. T. CICERONEM audias, qui, ſecunda veritate, hoc tulit iudicium. Quae quum ita ſint, quid eſt, quod ſano obſtet homini, quo minus in ipſa etiam ſimplici, plana et facili, qua hiſtoriam MOSIS de orbis fabricatione compoſitam eſſe nouimus, oratione diuinum aliquid perſpiciat et miretur? TATIANVS (*) certe, qui ciuitatem chriſtianam ſeculo P. C.

 N. ſe-

(*) Orat, ad Graecos p. 102. ex edit. WILHELMI WORTHI.

Digitized by Google

N. ſecundo illuſtrauit, quum, adhuc deorum cultor, in barbaros (*) quosdam, hoc eſt, ſacri codicis libros, ſigillatim in eam partem, qua conditi vniuerſi deſcriptio continetur, incidiſſet, his vllo ſine negotio fidem adhibuit, *διά τε τῶν λέξεων τὸ ἄτυφον, καὶ τῶν εἰπόντων τὸ ἀνεπιτήδευτον, καὶ* ΤΗΣ ΤΟΥ ΠΑΝΤΟΣ ΠΟΙΗΣΕΩΣ ΤΟ ΕΥΚΑΤΑΛΗΠΤΟΝ, *ob ſtili humilitatem, auctorum ſimplicitatem, et* ENARRATIONEM CREATIONIS VNIVERSI CAPTV FACILEM. Ita quidem Graeca verba Latina donauit ciuitate WILHELMVS WORTHVS, vir litteratiſſimus.

## §. III.

NEMO erit, quin det nobis et largiatur haud inuitus, Dei cum maxime eſſe, digne de ſe loqui, et quemadmodum ſacroſanctae ſuae, qua verendus eſt, maieſtati conuenit. Scriptores, qui ſapiunt, cauent etiam atque etiam, ne de rebus exilibus, ac nullo loco habendis, magnifice excelſeque loquantur, atque in iſtud genus incidant acuminis, quod *frigidum* appellauit magnus orator Vrbis, (**) et in quo ex litterata ciuitate proſcribendo amandandoque veteres pariter ac recentiores rhetores tantum poſuerunt operae, quantum nulla in re alia. (***) Omnes, qui vitas et res geſtas magnorum atque illuſtrium exponunt hominum, ſpartam quidem ſuam, pro eo ac debent, ornaturi, nil relinquunt intentatum, quo de illis excelſius magnificentiusque et ſentiant et dicant. Grauius aliquid ſciſcam, et quod a re propoſita minus ſeiunctum eſt. Digna haec eſt ſummorum virorum perſonis oratio, quae, primo ſtatim adſpectu, grande aliquid ac ſublime prae ſe fert, et infimos homines, ſimul vt audiunt eam, inducit, vt ſine mora honori ac dignitati adſurgant loquentium, eamdemque reuereantur. Nihil de ſe abiectum, nihil humile cogitant viri, qui faſtigium tenent inter homines: ducunt infra

(*) Sic etenim Graeci olim ceterarum gentium homines *βαρβάρους* fere appellare, ſeque hoc nomine ab iisdem ſecernere ſolebant. Vid. ὁ Σχολιάςης εἰς τὸ τῆς Θουκυδίδου συγγραφῆς A. p. 2.

(**) de clar. Orator. c. LXVII.

(***) vt DEMETRIVS, ſiue is Phalereus, ſiue alius quispiam fuerit, *περὶ ἑρμηνείας*, §. CXX. p. 112. Add. RAPINI *Reflexions ſur l'Eloquence*, §. XIII. ſ.

Digitized by Google

ipſa ſe reliqua omnia, et ſuam vnice verſant animo excellentiam. Hinc et ipſis verbis, quamopere in oculis ferri poſcant et flagitent, haud parum declarant luculenter. Qui dat haec nobis et concedit, is dabit et illud, iis, qui clariſſimos viros inducunt loquentes, eamdem etiam, quae propria eorum eſſe ſolet, orationem induendam eſſe. Oratoris ac ſcriptoris eſt, fingere ſe eum ipſum eſſe, quem dicentem introducit, et conuenientia ei verba, cuius perſonam ſumit, adaptare. His iactis fundamentis, ad propoſitum veniemus. Deus OPT. MAX. haud dubie is eſt vnus, cuius res geſtae atque virtutes non iisdem, quibus ſolis curſus, regionibus ac terminis continentur. Eius ſapientia, benignitas, ſcientia, potentia, verbo, omnes virtutes diuinae, eiusmodi ſunt, vt nullis finibus et cancellis concludi et circumſcribi poſſint. Nulla eſt harum, cuius non, in magna orbis fabrica, quoquo nos vertimus, veſtigia perſpiciamus. Omnium vero clariſſime in creatis rebus infinita elucet potentia, qua valuit opifex aedificatorque mundi, Deus. Cuius rei conſignatas in animis notiones eſſe, ipſe diuus PAVLLVS, legatorum Domini maximus, teſtis eſt, Rom. I, 19. 20. Quo minus mirum cuiquam videbitur, MOSEN, hiſtoricum a Deo eruditum, potentiam illam diuinam ante oculos poſitam habuiſſe, quum *lucis* ac *terrae* creationem commemoraret, Gen. I, 3. 9. *Sublimis* erat *res*, quam recenſebat. *Sublimis perſona*, quam inducebat loquentem. Itaque facere non poterat, quin et dicendi ratione vtrique accommodata vteretur.

§. IIII.

DIONYSIVS LONGINVS, Rhetor clariſſimus, ZENOBIAE, Illuſtris Palmyrenorum Reginae a conſiliis et ſtudiis, criticaeque artis facile, vt tum erant tempora, princeps, in hac hiſtoriae Moſeae portione ALIQVID SVBLIME iam olim adnotauit. Perſpicuum hoc eſt ex eius iudicio, quod hac de re tulit, quodque ita ſe habet:

Ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, (*) κἀξέφη-



(*) Duo codices manu exarati Vaticani legunt ἐχώρησε, cepit, mente complexus eſt. Atque hos HVGO GROTIVS vir illuſtris in libro

*νεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων·* ΕΙΠΕΝ Ο ΘΕΟΣ, *φησὶ, τί*; ΓΕΝΕΣΘΩ ΦΩΣ, ΚΑΙ ΕΓΕΝΕΤΟ· ΓΕΝΕΣΘΩ ΓΗ, ΚΑΙ ΕΓΕΝΕΤΟ.

ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ, (*) *ſect.* VIIII. *p.* 61. *ſq.* ex editione IACOBI TOLLII, quae *Traiecti ad Rhenum*, CIↃ IↃC XCIIII, vna cum *Gallica Boilauiana* verſione, luci expoſita publicae fuit. (**) Conuerſio verborum LATINA, quam huic eidem celeberrimo debemus viro, haec eſt:

*Hac item mentis altitudine Iudaeorum Legislator, vir minime contemnendus; dignam Deo potentiae eius cepit imaginem, digneque eloquutus eſt. Nam in ipſo ſtatim legum ſuarum principio:* DIXIT DEVS, *inquit. Quid?* FIAT LVX: et FACTA EST. FIAT TERRA: et FACTA EST.

NOVA LATINA ZACHARIAE PEARCII, A. M. qui Magnae Britanniae Regis a ſacris domeſticis eſt, verſio eiusmodi eſſe videtur, vt mereatur adduci:

*Similiter etiam ille Iudaeorum legislator, vir minime vulgaris, poſtquam potentiam Numinis, pro dignitate eius, mente concepit, etiam declarauit, ſtatim in principio legum* ſuarum *ſcribens,* DIXIT DEVS, *inquit. Quid?* SIT LVX, ET FVIT; SIT TERRA, ET FVIT.

p. 31. editionis nitidiſſimae, quae Londini, CIↃ IↃCC XXIIII, in forma quarta maiori formis deſcripta prodiit. (***) Cum hac

libro *de veritate religionis chriſtianae* ſecutus eſt. Ab hac etiam lectione TOLLIVS, PEARCIVS, BOILAVIVS, et GORIVS, viri doctiſſimi, ſteterunt, ac τῷ *ἐγνώρισε* vulgato praetulerunt.

(*) *Vitam* et *ſcripta* LONGINI, nec non *varias* huius *περὶ ὕψους* libelli *editiones*, quum ab aliis diſceſſeris, recenſuerunt viri clariſſimi, IO. ALB. FABRICIVS, in Biblioth. Graec. lib. IIII. c. XXXI. p. 435. ſ. ZACH. PEARCE, et ANTON. FRANC. GORI, in literata, quam ſuae vterque editioni praemiſit, praefatione.

(**) p. 20. ex edit. TANAQVILLI FABRI, quem patrem litteratiſſima DACERIA coluit ac venerata eſt. Haec editio Salmurii CIↃ IↃC LXIII lucem adſpexit.

(***) Exſtat hic Dionyſii Longini *περὶ ὕψους ὑπόμνημα noua verſione latina* donatum, *notis perpetuis* illuſtratum, plurimisque in locis, partim auctoritate Codd. MSS. melioris notae, partim coniectura, *emendatum*. Addita ſunt omnia

hac vtraque Latina conuerſione coniungimus GALLICAM, a NIC. BOILAVIO, elegantiſſimi viro ingenii, confectam, et cum litterata communicatam ciuitate:

*Ainſi le Legiſlateur des Juifs, qui n'étoit pas un homme ordinaire, aiant fort bien conçu la grandeur et la puiſſance de Dieu, l'a exprimée dans toute ſa dignité au commencement de ſes Loix, par ces paroles,* DIEV DIT: QVE LA LVMIERE SE FASSE; ET LA LVMIERE SE FIT: QVE LA TERRE SE FASSE; ET LA TERRE FVT FAITE.

Vid. Oeuures de NICOLAS BOILEAV DESPREAVX, *Tom.* III. vbi reperitur *Traité du Sublime, Chap.* VII, p. 57. editionis illius, quae forma, vt dicitur, octaua, CIↃ IↃCC XXVIII, Hagae in lucem prodiit. (*) Neque ſilentio hic erit praetereunda ITALICA verſio, quam ANTON. FRANCISCVS GORIVS, Veronae CIↃ IↃCC XXXIII elaboratam, in forma quarta

omnia, quotquot hodieque ſuperſunt, auctoris fragmenta.

(*) Multae horum elegantiſſimorum Operum exſtant editiones, quas quidem longo ordine hic loci recenſere noſtri non fert ratio inſtituti. Omnes vero et nitore et pretio illa vincit, quae *Amſtelodami* CIↃ IↃCC XXVIIII, *duobus Tomis in fol.* orbi eleganti tradita fuit, figuris et maioribus et minoribus, ab ingenioſiſſimo ac peritiſſimo artifice, BERN. PICARTO, in aes inciſis, exornata: cui nos etiam illam debemus figuram, quam, creationem orbis, ac verba Hebraica, יהי אור, in radio emicantia, repraeſentantem, indicem libelli noſtri conueſtire iuſſimus. Excerpſimus eam ex Tom. II. p. 151. vbi finem *Diſſertationis Huetianae* mirifice ornat. Conferenda *Explication des Vignettes*, Tomo I. praemiſſa: vbi haec praeſens noſtra in iis, quae T. II. inueniuntur, prima poſita ſic explicatur: *Cette pièce répreſente la Creation du Monde, on y voit en Hebreu dans vn rayon de lumiere les fameuſes paroles, qui ſont le ſujet de cette Diſſertation,* QVE LA LVMIERE SOIT; ET LA LVMIERE FVT. Ceterum illa artis varietas, quae toti huic nitidiſſimae editioni eximium conciliat ſplendorem, in iſta minori fruſtra quaeritur. In huius enim tertio Tomo non niſi illae maioris formae exſtant figurae, quae et illic in Tomo ſecundo conſpiciuntur. Nemini ergo verba det clariſſimum B. PICARTI nomen, ſingulis quatuor voluminibus praemiſſum. Putaui, ea de re emtorem rerum ignarum eſſe admonendum.

Digitized by Google

ta maiori exire iuſſit, (*) vbi verba, quae recitauimus, Graeca p. 59. hanc in ſententiam verſa leguntur:

*In cotal guiſa ancora il Legislatore de' Giudei, vomo non mica volgare, dopo auer riconoſciuta, e moſtrata, ſiccome la dignità richiedeua, la ſourana potenza di Dio, ſul principio della Legge ſcriſſe:* PARLO IDDIO; Che? SIA LA LVCE; ET FV LA LVCE: SIA LA TERRA; ET FV LA TERRA.

## §. V.

HANC igitur, quam LONGINVS de MOSE dixit, ſententiam, Deo quidem propitio et ſecundo, in praeſentia enarraturi, *primum* eximia conſiderabimus elogia, quibus ſacrum ornauit hiſtoricum. *Deinde* diligenter ſumus circumſpecturi, vtrum ipſe Rhetor Moſeam legerit narrationem, an aliunde acceperit. *Hinc* verba MOSIS cum iudicio Rhetoris, omni, qua decet, accuratione comparabimus, hunc quidem illi mira facilitate conciliaturi. *Porro* veram poteſtatem ac virtutem verborum, quae miratus eſt LONGINVS, explorare conabimur, violatae veritatis Hebraicae viris, qui merentur, diem dicturi. Atque hac nauata opera id nos ſperamus conſequuturos, vt vltimo *denique* loco, id, QVOD in excitatis diuini ſcriptoris verbis, ex mente quidem LONGINI, nec inuita veritate, SVBLIME cenſendum, et plenius enodemus, et firmius tueamur. In ipſa huius totius argumenti pertractatione hanc ſumus legem nobis ſcripturi, vt, quae a loco aliena ſunt, abiiciamus, ea vero, quae ad rem propoſitam vllo pertinere modo videbuntur, conciſa quadam et circumſcripta declaremus breuitate, quam erudita poſcit meditatio. Quumque viri quidam celeberrimi in hac cognoſcenda cauſſa ſic ſeſe geſſerint, vt, vtrum de verbis magis, quam de re ipſa, lites commouerint, decernere diu multumque dubitauerimus: his quidem omnium optime faciemus ſatis, ſi implicatas adhuc et inuolutas notiones enodatius explicemus, et certas fixasque vocibus poteſtates ſubiiciamus.

§. VI.

(*) Profeſſor hic Veronenſis libellum LONGINI Graecum, vna cum *latina Tolliana*, *Italica* ſua, et *Gallica Boilauiana*, in lucem emiſit conuerſione, atque adnotationes adiecit.

Digitized by Google

## §. VI.

POSITIS hiſce principiis, elogia *primum* inſignia, quibus antiquus criticæ artis magiſter ſanctiorem honeſtauit hiſtoricum, expendemus. *Binos* autem hic loci *titulos* inuenimus, qui noſtra contemplatione tanto quidem digniores ſunt, quanto exploratius ſcitur, illos ex eorum eſſe numero, qui, praeter MOSEN, potiori iure mortalium conueniunt nemini. *Vnus* eſt, *ὁ τῶν Ἰȣδαίων θεσμοθέτης*, hoc eſt, *Iudaeorum legislator*. Omnes, qui voces Graecas in ſeparatis expoſuerunt libris, quotquot eorum in auxilium vocaui, in eo conſentiunt, vocem *θεσμὸς*, generatim ac vniuerſe ſpectatam, idem, quod *νόμος*, adeoque *legem*, deſignare. Eſt enim *θεσμὸς* quaſi *νόμος τεθεὶς*, *lex poſita* et *conſtituta*, ſiue in tabulis inſcripta, ſiue in animis hominum informata, ſeu denique vſu et conſuetudine confirmata. Secundum Atticam, eamdemque venuſtiorem in Graecia *διάλεκτον*, *θεσμὸς non ſcriptam*, et *νόμος ſcriptam* denotat *legem*; ſi quidem THOMAE MAGISTRI ſtandum auctoritate, qui ad *λέξιν· Θεσμὸς* haec adſcripſit: *ὁ ἄγραφος· νόμος ὁ ἔγγραφος.* (*) Hoc igitur loco, vbi de MOSE leges ſcriptas populo exhibente ſermo habetur, dictionem *νόμος* Attica flagitaret elegantia. Quumque *φράσις· θεῖναι νόμον* apud meliores Graeciae auctores de *legislatore*, qui *legem populo ponit*, inueniatur: (**) ſequitur illud, vt MOSES *ὁ τῶν Ἰȣδαίων νομοθέτης* elegantius nominetur. (***) At Graeci tamen CEREREM, Saturni et Opis filiam, quia leges prima hominibus dediſſe creditur, *Θεσμοφόρον* communiter appellare non dubitauerunt: quam Latini, horum exemplum ſequuti, *Legiferam* dixerunt. Quoquo modo autem ſe res haec habet, id omni vacat dubitatione, ſupremum legislatorem, Deum, *ἐν χειρὶ μεσίτȣ*, nimirum MOSIS, Gal. III, 19. 20.

(*) *ἐν ταῖς Ὀνομάτων Ἀττικῶν Ἐκλογαῖς*, p. 89. ex editione NIC. BLANCARDI, *Animaduerſionibus* LAMBERTI BOS aucta et locupletata.

(**) Declarauit hanc *φράσιν* L. KVSTERVS, *de Verbis Mediis* in *Collectione quatuor de* V. G. M. *Diſſertationum*, quam Pl. Reu. PRAESES orbi tradidit litterato, p. 72. ſ.

(***) Atque hac appellatione vſus eſt FL. IOSEPHVS, in veſtibulo *Antiquitat. Iud.*



Digitized by Google

20. (*) litteris mandatas populo Iudaico leges praeſcripſiſſe. Diuinarum etenim et VETERIS et NOVI FOEDERIS tabularum hac de re teſtimonium omni eſt maius exceptione. Verum hae quoque ſolae nos erudiunt, quaenam vera, et cum hiſtoria congruens, poteſtas voci θεσμοθέτης hic aptanda ſit. MOSES nempe hoc ornari nomine non niſi eo poteſt ſenſu, quo inferior aliquis magiſtratus promulgat leges a principe conditas, quum in vulgus eduntur. Aliena Dei vice functus eſt vir ſanctus, dum leges populo promulgauit Iudaico. Sileat igitur DRACO, valeat SOLON, abſit LYCVRGVS, vbi Dominus per ſuum iubet oratorem. Atque iſta θεσμοθεσία vel, ſi mauis, νομοθεσία MOSIS in vniuerſo, quam latiſſime patuit, orbe terrarum, omnium olim gentium concelebrabatur ſermone: ita ea clara, teſtata ac peruulgata erat. Hinc et LONGINVS, homo deorum cultui addictus, illius non hoſpes erat rei, quam nouerant omnes. *Alter* titulus, quem meritis viri reddidit orator, eſt οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, *vir minime contemnendus*; ſicut *Tolliana*, aut, *vir minime vulgaris*, vt *Pearciana*, habet conuerſio: a qua vtraque nec *Gallica*, nec *Italica* diſſidet. Participium hoc, τυχὼν, οῦσα, ὀν, a τυγχάνω ortum, *obuium ac tritum aliquid*, κατ' ἰδίωμα Graecum, ſignificare, FRANC. VIGERIVS iam pridem obſeruauit. (**) Sic τυχόντες ἄνθρωποι Graecis ſunt *homines ex triuio*: ἡ τυχοῦσα ζημία, *poena* dicitur *quaelibet* aut *vulgaris*. Hoc modo ὁ τυχὼν ἀνὴρ *vir* erit *ex triuio, vulgaris, quilibet, vbique obuius*, vel, ſecundum *Liuianam* Φράσιν, *non contemnendus*. Notum illud T. LIVII, Patauini, de POLYBIO, *non contemnendus auctor*; id quod multis, quaſi maligne eum et parce laudauiſſet LIVIVS, reprehenſum eſt. Et tamen neminem praeterit humaniorum littera-

(*) Euolui poterit copioſa huius δυσνόητα oraculi Paullini explanatio, quam in *Examine Regular. Hermeneut. ab* A. CALMETO, *Monacho Pariſino*, *ciuitati chriſtianae commendatarum*, p. 74. ſ. cum publica re et ſacra et erudita communicauit ven. PRAESES.

(**) de praecipuis Graecae dictionis idiotiſmis, p. 282. ſ. Quo quidem loco rectius ἰδιώματα ſiue *proprietates* dixiſſet VIGERIVS, certe corrigere vocem debuiſſet, qui libellum formis denuo deſcribendum curauit, I. H. LEDERLINVS, vir Graecis litteris, ſi quis alius, eruditus.

Digitized by Google

terarum peritum, hoc quoque ab eo ſcriptum fuiſſe, *Iouem non contemnendum teſtem.* Ineſt nimirum in hac eloquutione figura quaedam rhetorica, *μείωσις* dicta, quae *minus* indicans, *plus* a nobis vult intelligi: eamdem ſpeciatim magis λιτότητα vocant, quum negans aliqua additur particula, per quam vox, quae *rem* alias *praeſtantiſſimam* notat, hac quidem negata, *omnium viliſſimam*, contra quae rem deſignat *vulgatiſſimam*, negatione addita, *omnium maximam* ſignificat. Figurae huius vim negantis explicat HERMOGENES, c. XXI. XXVII. Ita οὐχ ὁ τυχὼν eſt *eximius, praeclarus.* Sicut κλέος ὁ μικρὸν, id eſt, *ingens decus, gloria quam maxime eximia;* vt *non minimum decus* HORATIVS dixit, lyricus vates, hoc eſt, *longe maximum*, de art. poet. v. 286. Idem de EPICVRO, Lib. I. Od. XXVIII. v. 14.

non ſordidus *auctor*
*Naturae verique*,

id eſt, *clariſſimus, maximeque illuſtris.* Quae quum ita ſint, LONGINVS, dum ἄνδρα οὐ τυχόντα diuinum hiſtoriae creationis appellauit ſcriptorem, non mediocriter eum collaudauit. MOSES ſcilicet, ipſo iudice, *vir* fuit *haud vulgaris*, hoc eſt, *maximus, cui anteferendus nemo, pauci pares putandi.* (*) Quod quam vere dictum ſit, ſancti nos docent homines: in his STEPHANVS, ὁ Πρωτομάρτυρ, Act. VII, 20. ſqq. MOSEN ſummis in coelum laudibus extulit, ac velut in tabula eximia viri repraeſentauit promerita. Erat enim ille Orator Dei ad nationem Iudaicam ſummus, quo nihil aut in virtute, aut in dicendi efficacitate, aut denique in rebus praeclare geſtis, quibus legationem ſuam a Deo ipſi mandatam corroborauit, olim excellentius fuit. Ex deſertis ille locis, et ex Libycis arenis, ad Aegyptios et Iudaeos amandabatur. Quod reliquum eſt, eamdem Graecam loquutionem in deliciis habuit LVCAS, cuius nitorem dictionis nemo vmquam in dubium vocauit, in Commentariis ſuis, quibus πράξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων continentur, cap. XVIIII,



(*) Elegans eſt G. DE PETRA, τῷ ἐνδοξοτάτος καὶ περὶ λόγους διασχολίων ταυτὸν οὐ τὸ οὐ τυχὼν ἀνὴρ ... νύτατος.

Digitized by Google

κ. δυνάμεις οὐ τὰς τυχούσας, XXVIII, 2. οὐ τὴν τυχοῦσαν φιλανθρωπίαν. Nec figuram λιτότητα alio aſpernatus eſt loco, cap. XXI, 39. vbi Ciliciam οὐκ ἄσημον πόλιν dixit. Legantur auctores, quos IACOBVS TOLLIVS ad *locum noſtrum* excitauit. Exempla Graeca et Latina, eaque bene multa, collegit THOMAS CRENIVS. (*)

## §. VII.

HIS praeconiis diutius vacauiſſemus enodandis, niſi nobis ante oculos obuerſaretur *alterius*, quam declarandi cauſſa aduocauimus, materiae dignitas, quae nos ad ſeſe rapit, et haec minora relinquere hortatur. Verum conſultius erit, haec ita praeterire, vt tamen intuentes et reſpectantes relinquamus. Inquirendum nobis nunc erit, vtrum ex ipſo MOSIS libro rem arceſſierit criticus, an aliunde hauſerit eam. P. D. HVETIVS, illuſtris ſacrorum Abrincenſium in Gallia Praeſul, LONGINVM ad ipſos recurriſſe fontes, aut MOSIS libros euoluiſſe, negat, atque idcirco inducit animum, vt credat, haec aliunde ipſum accepiſſe. (**) Ab hoc IOANNES CLERICVS, inſigne Amſtelodamenſium decus, ſuam haud ſeiunxit opinionem. (***) Rationes autem, quibus hi celeberrimi nituntur Duumuiri, tanti haud ſunt, vt non facile con-

(*) Animaduerſ. philol. et hiſtor. p. m. 52. ſqq.

(**) In Demonſtrat. Euang. Prop. IIII. cap. II. §. LIII. et in *Diſſertatione* Pariſiis, A. D. VII. CAL. APRIL. CIƆ IƆC LXXXIII ſubſcripta, quam IO. CLERICVS ſuae *Bibliotheque Choiſie*, Tom. X. Art. III. p. 211. ſqq. inſeruit, hoc titulo inſignitam: *Examen du ſentiment de* LONGIN *ſur ce paſſage de la Geneſe:* et Dieu dit etc. par Mr. HVET, *ancien Euêque d'Auranches*. Quo loco videnda p. 231. ſ. vbi et Mr. LE FEVRE laudat ab hac ſententia non receſſiſſe. Verum is a nobis potius eſſe videtur, ſaltim verſat ſe in vtramque partem, dum: *il eſt aſſez croyable*, inquit, *que* LONGIN *avoit lû quelque choſe dans les Liures de Moiſe, ou qu'il en auoit entendu parler*. Haec ipſa *Huetiana* diſſertatio exſtat etiam in excitatis *Operibus Boilauianis*, Tom. III. p. 319. ſqq. et, quae huc pertinent, p. 334.

(***) Vid. Remarques de Mr. LE CLERC, ſur la Réflexion X. de la nouvelle Edition de LONGIN, par Monſieur DESPREAVX, tirées de la Bibliotheque Choiſie, Tom. XXVI. p. 83. dans les *Ouures* de N. BOILEAV, *loc. cit.* p. 384. et 387.

Digitized by Google

conuelli ac dilui queant. Verba quidem, γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο γῆ, non inueniuntur apud MOSEN: concedo. At id tamen, quod voluit hiſtoricus, in his exſtare verbis, paullo poſt planum faciemus. Nec pronomen interrogans τί in hiſtoria legitur ſacra: hoc damus etiam atque largimur. Anne vero huic ratiocinationi locus dandus: Rhetor addidit aliquid de ſuo: ergo ſcriptorem, cuius verba citat, haud euoluit? Non ſine cauſſa ille, narrationis nimirum ſublimitate perculſus, et lectori ſuo *ſublime illud Moſeum* digito velut commonſtraturus, iſtud adiecit pronomen. Vide, vt et claſſici auctores hanc in ſententiam ſint loquuti, lectores ſuos et attentiores et dociliores facturi. ARISTOPHANES, ſcriptor Ἀττικώτατος et veteris comoediae facile princeps, hunc in modum cecinit, cultiori τοῦ τὸ ante τί abundantia vſus, *Pace*, v. 695.

TP. Εὐδαιμονεῖ· πάσχει δὲ θαυμαστόν. EP. τὸ τί;

TR. *Beate viuit, ſed mirum quid ei accidit.* MER. QVID?

Sic v. 827.

- - - ΘE. ἴθι νῦν κάτειπέ μοι. TP. τὸ τί;

FA. *Age dic, quaeſo, mihi.* TR. QVID?

ARRIANI Epict. lib. I. c. XV. p. 125. *edit. Cantabr.* CIↃ IↃC LV. Ἐν πάσῃ περιστάσει τηρήσω τὸ ἡγεμονικὸν κατὰ φύσιν ἔχον· τὸ TINOΣ; τὸ ἐκείνου, ἐν ᾧ εἰμι. *In omni ſtatu conſeruabo mentem naturae conuenientem.* CVIVS? *illius, in qua ſum.* Ergo quam infirma iſta ſit ratio, nulli non patet acri iudicandi virtute valentium. Nam quum praeuiderit LONGINVS, non eſſe cuiusuis, in tam breui eloquutione hoc perſpicere ſublime: haud ab re fore ratus eſt, ſi ſigno atque indicio aliquo claro et Graeco ſermoni conueniente omnes excitaret lecturos, vt cum eadem, qua ipſe, admiratione ponderarent ac meditarentur verba. Quo minus ſeſe purgare poterit BOILAVIVS, Gallicae conuerſionis auctor, quod illud QVOI? plane omiſerit, eumdemque iure quodam ſuo hanc ob cauſſam caſtigauit IO. CLERICVS. (*) Is quidem, ſi peccauerit, excuſatius ſe putat peccaſſe, eo quod iſta vnius ſyllabae vocula



(*) In Notis ad *Examen Huetianum* paullo ante commemoratum, priore loco, p. 241. ſq. altero, p. 341.

non MOSIS ſit, ſed LONGINI tota, et quod cauere voluerit, ne venuſtatis Gallicae incideret neruos. Addit inſuper, animo ſe hoc verſaſſe conſilium, vt eam omiſſionem illi quorumdam praemuniret opinioni, qui locum, cui nunc vacamus explanando, ex, neſcio qua, inepta verſione, aut corrupto quodam deprauatoque contextu, ſurreptum eſſe arbitrantur. Interim prae ſe fert, idque verbis diſertis, hoc ſibi vitio dandum eſſe, quod in notis Gallicis conuerſioni ſubiectis nullam eius omiſſionis rationem reddiderit. Verum quam contortulae ac minutae illae *Boilauianae* ſint concluſiunculae, cum omnes videant, qui vel parum iudicando valent, tum CLERICVS maxime, idoneus hac in re iudex, vnica illas diſiecit ac diſſipauit animaduerſione. (*)

## §. VIII.

EQVIDEM hoc mihi non arrogo et ſumo, vt decernere ac ſciſcere velim, ipſos Hebraicos fontes adiiſſe LONGINVM: qui enim ex his, quos ne nouerat quidem, haurire potuiſſet? Peiore certe loco erudita et litterata ſacrarum litterarum declaratio non poteſt eſſe, quam in quo tum temporis ſita erat. Ipſi illuſtres ciuitatis Chriſtianae antiſtites ſanctioris linguae peritia a multitudine ſeſe haud ſecernebant ac ſegregabant. Quo magis ab omni veri abhorret ſpecie, homines, qui deos ſuſpiciebant, in ſermonem aliquem, qui a CHRISTI amicis, cauſſae ſuae rectius inſeruituris, omnino colendus erat, ſed, vt tum tempora erant, a plerisque omnibus negligebatur, incredibili, quem poſcit ſibi, labore incubuiſſe. In hac vero, praeeuntibus aliis, ſum haereſi, Graecam verſionem *Alexandrinam*, quae LXX. interpretibus vulgo adſcribitur, legiſſe et conſuluiſſe, et leuiter immutaſſe, aut aliam, iam tum exſtantem, ſuam feciſſe, rhetorem. Nec is ego ſum, qui hac in materia iis pugnare rationibus auſim, quas ἀποδεικτικὰς appellant philoſophi, quaeque omnem praecidunt dubitationem. Iis modo vtar argumentis, quae haud

(*) Haec *locis* quidem *citatis* his concepta verbis reperitur: *Il n'eſt pas permis de retrancher rien, dans un paſſage de cette ſorte, en le traduiſant. Autrement on fait dire à un Auteur non ce qu'il a dit, mais ce qu'il a dû dire effectiuement.*

haud ſpernenda ſe commendabunt veriſimilitudine. Quod ſi quis vnus eſt, qui huius naturam ex arte diſſerendi et vera a falſis diiudicandi perſpectam tenet: perficiam facile, vt ille meus fiat. Citat LONGINVS palam et aperte τὴν εἰσβολὴν τῶν νόμων, atque oſtendit, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ, hoc eſt, *in ipſo ſtatim veſtibulo*, vt alicubi CICERO, vel, vt FABIVS QVINCTILIANVS loquitur, *in ingreſſu ſuarum legum*, iſta verba in litteras retuliſſe MOSEN. Quo etiam ſenſu idem auctor noſter ISOCRATIS *Panegyricum*, εἰσβολὴν, *orationis principium* dixit, Sect. XXXVIII; id quod ad *hunc locum* GABRIEL DE PETRA, qui Graecas quondam litteras in Lauſannenſi Academia cum plauſu docuit, praeclare obſeruauit. Iudaei non minus, quam Chriſtiani, codices MOSIS nominabant νόμον et νόμους, petita ab eo, quod vtramque in illis paginam facit, appellatione. Illud ex Iudaeis, quibuscum verſabantur, ſimulacrorum audiuerant cultores: hoc vero ex ſacris Chriſtianorum libris ſciebant. Sed propius rem agamus, temporum rationem, quam *chronologiam* dicunt, in auxilium vocaturi. Erat LONGINVS reginae orientis, ZENOBIAE, ex hiſtoria Auguſta notiſſimae, marito ODENATHO vita functo, multis in rebus a conſiliis: quumque haec iuſſu AVRELIANI Imperatoris caeſa eſſet, accidit, vt et LONGINVS non alia de cauſſa interimeretur, quam quod ſuperbior illa epiſtola, quam Imperatori ipſius deditionem petenti, reſcripſerat regina, in calamum ab eo dictata eſſe crederetur. Noſtrum iam haud eſt, diſquirere, quid cauſſae ſit, quod huic bellum reginae parauerit AVRELIANVS: alioquin haberemus in promtu, quibus, vt coniiciamus, inducimur, tam aſtutiam philoſophorum, quam Chriſtianorum quorumdam in ZENOBIAM ſtudium, Principis animum, natura praecipitem, concitaſſe et exulceraſſe. Satis habemus, SVIDAM, PHOTIVM, CP. patriarcham, atque FLAVIVM VOPISCVM, eius, quae huc pertinet, hiſtoriae auctores eſſe. Ex quo perſpicuum eſt, accurationi parum ſtuduiſſe SVIDAM, dum vitae Rhetoris rationem a poſtremis eius annis duxit, eumque ſub AVRELIANO viguiſſe, memoriae ac litteris prodidit: quicum PHOTIVS hac de re non diſſentit, qui, CLAVDIO imperium tenente, LONGINVM floruiſſe, teſtatur. Ipſe certe AVRELIANVS



Digitized by Google

LIANVS ſex annos, vix amplius, imperauit, viuereque deſiit circa A. C. CCLXXVI. Itaque melius ac diligentius ſcripſiſſet SVIDAS, ſi ſub GORDIANO, DECIO, VALERIANO, GALLIENO et CLAVDIO, floruiſſe LONGINVM dixiſſet: qua in calculis ponendis accuratione vſus eſt TANAQ. FABER, vir, qui num maius eruditione ingenium, aut ingenio excellentiorem doctrinam poſſederit, dubium reliquit. Itaque, in ORIGENIS tempora LONGINI incidit aetas. Iam vero LXXuiralis, quae dicitur, verſio non ſolum aderat, verum etiam hoc lectitari aeuo a doctis viris ſolebat. Cui rei ipſa ORIGENIS *Hexapla* argumento ſunt, quae Pariſiis, CIƆ IƆCC XIII, duobus tomis in fol. typis admodum nitidis exſcribenda curauit B. DE MONTFAVCON, cuius hodie fama per omnium ora litteratiſſimorum volitat hominum. Ergo certum eſt, et omni vacat dubio, LONGINVM *potuiſſe* MOSIS legere hiſtoriam. Sed et *reuera* legiſſe, credibile idcirco eſſe videtur, quod ZENOBIAM, quae ad MOSIS doctrinam acceſſerat, eiusdemque penitus imbibendae incredibili flagrabat cupiditate, in Graecis litteris erudiuerat.

## §. VIIII.

MAIVS reliquum eſt aliquid et grauius, quod noſtram iuuat cauſſam. Rhetor noſter, adoleſcens adhuc, cum parentibus ſuis, quemadmodum in eius vita relatum legimus, varias perluſtrauit regiones, ſtudiis obſequendi gratia. In primis magnos aeui ſui viros, AMMONIVM atque ORIGENEM, inuiſit et audiuit. Iuuat nunc, his praemiſſis, rem altius ex hiſtoria philoſophica repetere. AMMONIVS ille, (*) cui SACCAS cognomen erat, ſub ſaeculi a nato Seruatore ſecundi exitum Alexandriae nouam condidit ſectam, quae ſibi *Platonicorum* nomen adſciuit, et intra breue temporis ſpatium magnam orbis Romani partem occupauit. Cuius iam, imperante AVGVSTO, ibidem POTAMON quidam ſemina ſparſe-

(*) LONGINVS hunc AMMONIVM diſerte nominat *Platonicum*, in PORPHYRII *vita Plotini, cap.* XX. p. 128. edit. *celeb. Fabricii Bibl. Graec. Vol.* IIII. Vid. de hoc etiam homine PHOTIVS *Biblioth. Cod.* CCLI. p. 1382 H. VALESIVS ad *Ammian. Marcellin.* p. 344. P. BAYLE *Dictionaire*, T. I. p. 203.

Digitized by Google

ſparſerat. CLEMENS ALEXANDRINVS, PLOTINVS, PROCLVS, PORPHYRIVS, SYRIANVS, IAMBLICHVS, HIEROCLES, MAXIMVS, IVLIANVS, ORIGENES, aliique, in eiusdem verba magiſtri iurabant, ac ea tam confidenter tuebantur, ac ſi Pythiae funderent oracula, aut ex tripode verſus recitarent. Hi cum varia pro veris reciperent ſcita, tum hoc maxime placuit illis inſtitutum, omnes ſapientes, PLATONEM, ARISTOTELEM, ZENONEM, et ipſum, quem magnum etiam philoſophum venerabantur, CHRISTVM, inter ſe conciliandos eſſe. Qua quidem philoſophiae ac religionis chriſtianae colligatione nihil vmquam capitalius chriſtiano accidit orbi. Namque vt iuniores illi Platonici *dogmata*, quin et *res Domini geſtas*, a Chriſtianis ſumebant, ita et *ipſa vocabula* ex iis arceſſebant. Id mihi volo et ſciſco: prudentiores hi philoſophi ad eam toti incumbebant curam, vt res CHRISTO ac diis deuotorum, vnas easdemque eſſe, ſuperſtitioſae perſuaderent multitudini, eoque conſilio ex Chriſtianorum fontibus, quoquo modo poterant, ſua irrigare prata, conſultum ducebant. Si quis PORPHYRII, PLOTINI, IAMBLICHI, et aliorum, euoluit volumina, is voces inueniet, quas, apertum eſt, e diuinis monimentis mutuas eſſe ſumtas, minime vero in horum ſcholis hominum natas. Hoc ſi eſt, vt eſt omnino; res ipſa loquetur, ſacroſanctos ab his lectos eſſe, atque adeo legendos fuiſſe, libros. Nemo eſt, quin, etiam me ſilente, intelligat, quo mea haec valeant verba. LONGINVS, quum ab ore binorum, qui maximi inter iuniores Platonicos ſunt nominis, philoſophorum pependerit, eadem fortaſſis, vt fit inter homines, adoptauit inſtituta, ac ceterorum exemplum conſiliumque ſequutus, eos interdum adſpexit codices, quos vt a Deo traditos Chriſtiani receperunt. Cur ergo horum ſaltim initium ab eo lectum, haud veroſimile eſſe videatur? Nihil equidem perſpicio, quod nos moueat, vt, quae inclyti Magnae Britanniae theologi, Z. PEARCII, coniectura eſt, (*) a CAECILIO haec mutua ſumſiſſe Rhetorem, arbitremur, qui a SVIDA, τὴν δόξαν Ἰουδαῖος, σοφὸς τὰ Ἑλληνικά, vocatur. CAECILIVS

C nimi-

(*) In notis ad *loc. dictum*, p. 31.

nimirum SICVLVS hic indicatur, quem in quibusdam ſuis operibus, vt in Ἀττικῶν λέξεων ἐκδόσεσιν, atque in eo, *τίνα παρὰ τὰς ἱστορίας οἱ γραμματικοὶ ὡς ἱστορικὰ ἐξηγοῦνται*; inſcripto, in conſilium aduocaſſe legitur. Fingemus, rem ita ſe habere. Tunc vero a nobis pro certo erit ſumendum, LONGINVM aut *non potuiſſe*, aut *noluiſſe*, exploratiorem rei a CAECILIO ſibi narratae habere notitiam. *Prius* illud dici nequit, eas propter rationes, quas iam in medium attulimus. *Alterum* vi iudicandi exquiſita, quam Rhetori et veteres et recentiores vno attribuunt ore, prorſus indignum eſſe videtur. Virum enim eruditum hominis fidei in re quadam, quae propriis ipſius facile oculis patebat, vlla ſine mora fiſum eſſe, verba MOSIS caſu inaudita in chartam conieciſſe, et cum ſuae aetatis hominibus, quorum manibus Sacer Codex terebatur, tum poſteritati, addito iudicio, legenda propoſuiſſe, id quidem omni veritatis ſpecie caret. Ex his inſtar corollarii conſequitur, verius eſſe hoc, a LONGINO ipſum diuinum auctorem apud ZENOBIAM lectum, quam alterum, ſola eum CAECILII fide atque auctoritate ſtetiſſe. His me declaratis, hoc mihi dari iure quodam meo poſtulare poſſe, nemo prudens, vt opinor, negabit. Nec vero infeliciter, vt puto, ex LONGINI philoſophia rem conieci. CHALCIDIVS enim, iunior itidem ſaeculi quarti Platonicus, isque illuſtris in PLATONIS TIMAEVM LOCRVM commentator, et MOSEN magni fecit, et ſacra eius volumina legit, quae quippe paſſim teſtatur. Cenſet idem, *non humanam* ſancti hominis *facundiam* fuiſſe; quamquam, an vatem diuinum appellare debeat, haeret. Nam: *non humana*, ait, *facundia, ſed diuina*, VT FERVNT, *inſpiratione vegetatus*. (*) Hic quum more philoſophorum, quos ſequebatur, nouam religio-

(*) Comm. in *Timaeum Platon.* c. XIII. §. CCCXII. p. 380. Vel hic vnicus locus certum me eſſe iubet, Chriſtianis aggregandum haud eſſe CHALCIDIVM; vt viri quidam eximii ab hac ſteterunt opinione. Nec ſpreuit Chriſtianorum ſcita, nec conſenſit cum illis omni ex parte, ſed eundem, quem iuniores Platonici, tenuit morem, vt, ad circumueniendam multitudinem, idonea nouo religionis generi exſtruendo auxilia, quoque ſe verteret, circum-

gionem, ex vulgi, philoſophorum ac chriſtianorum ſcitis temperatam, exſtrueret, eoque conſilio MOSIS verſaret libros: quare ſimile vero haud ſit, LONGINVM, eiusdem philoſophiae ſodalem, eosdem voluiſſe codices, ſaltim initium eorum praetereundo adſpexiſſe? Aequa haec eſt poſtulatio, quam a quolibet rerum gnaro nos impetraturos eſſe confidimus. Maior nobis haud eſt neceſſaria ad cauſſam, quam tuemur, vincendam, qua cadet is, qui non, quemadmodum oportet, agit, et ſtatum litis a nobis praeteritum eſſe, cauſſatur. Nec dicimus nos, ſic rationem noſtram firmam eſſe, ac ſi ex EVCLIDIS praeceptis manarit. Nonniſi hoc ſumimus pro conceſſo: argumentatio noſtra, tametſi demonſtrationem minime dubiam haud referat, meliori tamen et firmiori nobis videtur eſſe loco, quam merae coniecturae et ſuſpiciones ſunt.

## §. X.

ID vero ex dictis equidem nego ſequi, quod ſine tripode coniiciunt nonnulli, quodque multorum ſuffragia tulit, LONGINVM nempe *ſemichriſtianum* fuiſſe. Conſiderant litterati huius coniecturae patroni et ſecum eximias putant laudes, quibus diuinum Rhetor profanus ſcriptorem ornauit. Hinc concludunt, eas eiusmodi eſſe, vt a deorum veneratore profectae eſſe haud poſſint. Pergunt in connectendo rationum filo: ergo ſemichriſtianus fuerit, oportet, qui tam inſignibus, tamque lectiſſimis, praeconiis a Deo inſtructum mactauit hominem. At enim vero principium, quod poſuerunt, aridum eſt et elumbe, ab honorum vocabulis ductum. Ecquid ergo boni et ſolidi de concluſionibus ſperandum erit? Hae, ſi ad rationis leges eas exigemus, ſine mora in fumos abibunt. In hac propoſitione: *qui ob dictum aliquod bonum*



circumſpiceret. Verum expreſſa hominis, Seruatoris doctrinam et ſacroſanctam ac diuinam vniuerſe recipientis, equidem deſidero veſtigia. Nec me praeterit, aliis viris me longe peritioribus idem placere iudicium.

*num ac laudabile, nec non ob praeclaram, quam multis ſibi promeritis collegit, famam, philoſophum laudat aliquem, is eius eſt adſecla doctrinae*, connexionem neceſſariam et eſſentialem, quam *ſubiectum* ac *praedicatum* habere debet, deſidero: accidentale quoddam vinculum haud nego. Vnde in vtramque partem hic diſputari poteſt, ſibique et adfirmatio et negatio aequam flagitat poteſtatem: ſi quis laudat aliquem in re quadam philoſophum, fieri poteſt, vt eius decreta aut ſumat, aut non ſumat. A laude alicuius viri ob rem aliquam ſingularem ad conſectationem omnis, quam profitetur ille, doctrinae non valet conſequutio. Poteſt aliquis veterem Academiam ſequi, et tamen PLATONEM in aliqua re contemnere, atque in hac ipſa PYTHAGORAM laudare. Iam equidem non intelligo, quanta vi haec argumentatio praedita eſſe poſſit: hic ob ſingularem quamdam ſententiam ſpernit PLATONEM; ergo non eſt amplius *Platonicus*, ſed in *Pythagoraeorum* caſtra tranſiit. Haec autem valida eſt ratio concludendi, ſi non plus, quam hoc, ex ſumto principio ducatur: ergo ille, quantum ad hanc vnicam opinionem attinet, *Platonicus* haud eſt. Ita et virorum doctorum ratio hoc erit modo commutanda: LONGINVS *ob ſublimem quamdam eloquutionem laudauit* MOSEN: *ergo, quod ad hoc ſublime ſpectat, a* MOSE *ſtetit*. Nihil eſt, quod in hanc ratiocinationem moliri queam. Hac vero adſumta, cadet illa concluſio: *ergo* LONGINVS *fuit ſemichriſtianus*. Non niſi huic conſequutioni locum excuſſa dat ratio: ergo LONGINVS MOSIS ſemi fuit amicus. Neque is idcirco aut iudaiſmo fauit aut chriſtianiſmo, vt ſemiiudaeus aut ſemichriſtianus dicendus ſit. Altera appellandi ratio, licet ambigua ſit, cum priori tamen conuenire et eadem eſſe poteſt: quemadmodum in Apoſtolica Eccleſia illi, qui cum Iudaicis caerimoniis caſtiſſimam Seruatoris conſociabant diſciplinam, ſemiiudaei ac ſemichriſtiani et erant et dicebantur. Sed mitto ſententiam omni per ſe ſale et acumine vacuam atque caſſam. Iudices ſedere volo, qui vel leuiter in arte ratiocinandi tincti ſunt, et qui nihil in his rationibus firmitatis ac roboris ineſſe, perſpiciunt: ALEXANDER SEVERVS, in priuato penatum delubro, CHRISTI imagini inter reliqua ſimulacra



Digitized by Google

locum adſignauit; (*) TIBERIVS in deorum numerum CHRISTVM cooptaſſet, niſi S. P. Q. R. ei ſe oppoſuiſſet; (**) IVLIANVS, ὁ Ἀποστάτης, ARSACIO, Pontifici Galatiae Maximo, nec non ceteris Pontificibus ac ſacerdotibus deorum, ſanctiſſimos Chriſtianorum mores etiam atque etiam commendauit; (***) HADRIANVS templa in Seruatoris honorem conſecrare ſuſtinuit. Grauius aliquid dicam: ipſa oracula deorum, aut, ſi mauis, ſacerdotes, per reſponſa ex tripode edita miſeram plebeculam circumuenturi, laudibus Dominum afficere non dubitarunt; (****) ergo hi deorum cultores, quotquot nominauimus, omnes, SEVERVS, TIBERIVS, IVLIANVS, HADRIANVS, quin ipſa denique oracula, ſiue, vt rectius dicam, ſacerdotes diis deuoti, fuerunt Chriſtiani? Verum deorum et CHRISTI ſacra is conciliet, qui ſerpentes auibus, agnisque tigres geminare poteſt. Addam plura minutarum eiusmodi ratiuncularum exempla: FLAVIVS IOSEPHVS IESVM laudauit; (*****) MVHAMMEDES in ALCORANO ſuo honorem haud vulgarem Seruatori, vt Dei verbo et legato, magno vati, omnium gentium in hoc et futuro ſaeculo faci, viroque diuina virtute praedito, attribuit.

 Quid

(*) teſte AELIO LAMPRIDIO, in vita Alex. Seu. c. XXVIIII. p. 328. edit. VLR. OBRECHTI. Etiam illud p. 342. adiunxit, hunc Imp. conſilium CHRISTVM *inter deos recipiendi* agitaſſe.

(**) Separatim hoc de argumento Diſſ. *Erffurt.* CIↃ IↃCCXV edidit THEOD. HASAEVS.

(***) Epiſt. XLVIIII. p. 429. ed. Spanhem.

(****) Rem enarrat AVGVSTINVS *de Concord. Euang.* Lib. I. p. 8. b. Tom. III. Opp. et ipſum oraculum Apollinis Pythii ſeruauit EVSEBIVS, *Demonſtr. Euang.* Lib. III. c. VIII. p. 134. idque memoratu tanto dignius eſſe videtur, quoniam PORPHYRIVM agnoſcit auctorem, hominem ſacris Chriſtianorum infenſiſſimum.

(*****) *Antiquitat. Iud.* Lib. XVIII. c. IIII. HVB. GIFANIVS et L. OSIANDER primi fuerunt, qui, ſaeculo ſupra decimum ſexto, inter ſuppoſititia hoc retulerunt teſtimonium: quos multi, vt fit, ſequuti ſunt. Verum eius γνησιότητα noſtra aetate pro virili adſeruerunt viri clariſſimi, CAR. DAVBVZ, Londini CIↃ IↃCC VI. et DAV. MARTIN, Vltraiecti, CIↃ IↃCC XVII. Sed his ſeſe oppoſuit auctor, neſcio quis, eruditus in Diſſ. a IO. CLERICO cum litterata ciuitate communicata, dans ſa *Bibl. anc. et mod.* Tom. VII. Part. II. Art. I. p. 237-288.

Quid vero inde? Ergo FL. IOSEPHVS et MVHAMMEDES in ſemichriſtianorum ſunt grege adnumerandi? (*) Fallor, aut hos ex luto et argilla confictos eſſe, qui fumum hunc facile tolerare queant, iure mihi videor poſſe contendere. Eſt vero hominum litteratorum quoddam genus, quod ex tenui et facile diffluente aranearum tela maxima ciuitati chriſtianae commoda minatur, et, dum Chriſtianos, vel falſtim ſemichriſtianos anquirit, eos in media Noua Zembla inuenit, diuinationibus ipſa niue frigidioribus vnice fretum. Haec litterata turba, dum ſuam rem agi videt, lemures et vmbras ſectatur. Acutum cernit, vbi denſam alii caliginem ſtupent. Eos ſpretae rationis poſtulat, qui rem aliquam, in qua ne vmbra quidem rationis apparet, aſpernantur. Hic enim mos eſt hominum, qui opinione quadam capti ſunt, vt vbiuis ea videant, quae nemo videre poteſt, niſi eodem, quo illi, ſint animi morbo adfecti. Eant vero hi etiam docti viri, et alios ſibi quaerant ſubſcriptores, alios approbatores, quam homines, qui nil anteceptis opinionibus, cuncta rectae rationis dant iudicio, quique certiſſimi ſunt, adſcititiis eiuſmodi praeſidiis, et manibus gypſatiſſimis, chriſtianam non egere diſciplinam.

§. XI.

(*) Ne hi quidem, qui CHRISTO diuinitatem inuident, licet in orbe chriſtiano viuant, digni, ſi rem bene putes, cenſendi ſunt, qui *Chriſtiani* dicantur, quoniam praecipuum ſacroſanctae religionis noſtrae dogma de TRINITATE proſcriptum iuere. MICH. SERVETVS, gente Hiſpanus, patria Tarraconenſis, primus ex ALCORANO ſuos de myſterio Trinitatis errores hauſit: hinc eos LAELIVS SOCINVS, eiusque amici, Vicentiae et in aliis Venetae ditionis vrbibus nacti ſunt, vbi ſaepius A. P. C. MCIↃIↃXLVI conuenerunt, ac priuata de rebus religioſis colloquia inter ſe habuerunt. Teſtem hanc in rem certiſſimum citamus STANISLAVM LVBIENICIVM, in *Hiſtor. Reform. Polon.* Lib. II. c. V. p. 96. et c. I p. 38. Has eaſdem errorum origines ex Muhammedanis fontibus cum cura deriuat vir doctrina exculttus, MAT. VEYSSIERE LA CROZE, in *Diſſertations Hiſtoriques ſur diuers ſuiets*, Tom. I. p. 1. ſ. Vnitarii Tranſſiluani ad ALCORANVM, tamquam ad *librum religionis ſuae claſſicum*, prouocarunt. Obiiciebatur hoc FAVSTO SOCINO, verum is verba pro ſe ſatis infeliciter fecit. Vtrumque eidem celeberrimo debemus auctori, p. 100. et p. 145. ſ.

Digitized by Google

## §. XI.

NVNC ordinis exigit ratio, vt id, quod *tertio loco* nos confecturos, ſupra ſignificauimus, expediamus, MOSIS et LONGINI verba inter ſe conciliaturi. Ille quidem in Commentariis ΓΕΝΕΣΕΩΣ nomine vulgo inſcriptis, *capite* I, *com.* III. haec habet:

ויאמר אלהים יהי אור ויהי־אור׃

Quorum verborum ὁι ὁ, quibuscum et THEODOTION conſentit, hanc nobis dederunt conuerſionem: ΚΑΙ ΕΙΠΕΝ Ο ΘΕΟΣ ΓΕΝΗΘΗΤΩ ΦΩΣ, ΚΑΙ ΕΓΕΝΕΤΟ ΦΩΣ. AQVILAS vero: ΚΑΙ ΕΙΠΕΝ Ο ΘΕΟΣ, ΓΕΝΕΣΘΩ ΦΩΣ, ΚΑΙ ΕΓΕΝΕΤΟ ΦΩΣ. Vbi perſpicuum eſt, Rhetorem aut conuerſionem, quae dicitur, *Alexandrinam*, leui τοῦ γενηθήτω in γενέσθω permutatione adſcita, aut ipſum AQVILAM, ſequutum, nomine φῶς, quod iterum repetitur, omiſſo. Diuus porro hiſtoricus, *com.* VIIII. de *terrae* fabricatione haec inter alia profert:

ותראה היבשה ויהי־כן׃

Verſiones Graecae omnes, AQVILAE, SYMMACHI, τῶν ὁ, ac THEODOTIONIS, conueniunt: ΚΑΙ ΟΦΘΗΤΩ Η ΞΗΡΑ· ΚΑΙ ΕΓΕΝΕΤΟ ΟΥΤΩΣ. Hanc vero ξηρὰν, *aridam*, γῆν, *terram* appellaſſe Deum, *com.* X. edocemur. Sicut in priori hiſtoriae ſacrae portione, ipſa MOSIS *verba* ſequutus eſt LONGINVS: ita in hac altera, verbis excitati commatis quibusdam abſciſſis, *non verba, ſed ſenſum*, diuini expreſſit viri, hoc modo: ΓΕΝΕΣΘΩ ΓΗ, ΚΑΙ ΕΓΕΝΕΤΟ. Ad ὕψος enim declarandum ſatis ſibi habere viſus eſt, ſi pleniorem tantummodo diuinitus acti ſcriptoris ſententiam excerptam proponeret. Dicis: Rhetor, alios citans auctores, nihil addit de ſuo; ergo vix et ne vix quidem, credendum, eum τί illud, de quo paullo ante loquuti ſumus, adieciſſe. Aliorum verba ſcriptorum, quae recitat, ita recitare ſolet, vt in ipſis reperiuntur: quocirca non aliter eum ſe hic geſturum fuiſſe, ſi verba ipſe vidiſſet, nec audiſſet modo, pro conceſſo ſumendum eſſe videtur. Ad *priorem* illam dubitationem nos ita reſpondemus: hic, cui iam vacamus enodando, locus vnicus eſt ille, in quo mundi opificem inducit loquen-

loquentem, in eiusdemque oratione ὕψος aliquod animaduertit. Itaque iſtud omnino dignum erat, quod indicio quodam expreſſo monſtraret; praeſertim quum conceptum ſit illud, ſi verba numeres, breuiter et abſciſe: ſi ſenſum aeſtimes, copioſe et valenter. Indicandum ei erat, quem ad modum non magis in *ſigno dicti*, quam in *ipſo dicto diuino*, et *euentu*, qui, MOSE auctore, reſpondit illi, maxime vero in breui vtriusque eloquutione, τὸ ὕψος quaereret. *Altera* ſuapte ſponte diffluet obiectio, ſi cogitemus, Rhetorem diis deditum ipſa ſuperſtitionis ſuae ſociorum ac ciuium monimenta eo, quo ſcripta erant, ſermone et legiſſe et intellexiſſe, et maiori etiam in pretio, quam noſtra ſanctiora, habuiſſe. Haec autem ne in Hebraico quidem ſermone poterat legere, ſed ex riuulis verſionum, quidquid de iis ſciebat, hauriendum ei erat: quas aut puras integrasque ſeruare, aut aliquantisper variare, aequae ſibi ducebat religioni. Atque haec habui in promtu, quae de re propoſita dicerem.

## §. XII.

QVARTO noſtrae partes erunt, vt verum et genuinum ſenſum ac virtutem narrationis Moſeae, melioribus *artis interpretandi* ſubſidiis adiuti, explicatius enodemus. Hiſtoricus ſacer maximum lucis auctorem, Deum, hic loci inducit loquentem, et velut ſupremum imperatorem ſumma cum auctoritate praecipientem. Cui rei et ſignum hoc, ויאמר אלהים, et diſertum, quod additur, mandatum, ne fando quidem vmquam antehac auditum, indicio ſunt haud obſcuro. Verbum etenim אמר, quod *generatim* idem, quod *loqui* Latinis, ſignificat, hic quidem *ſpeciatim*, *cum auctoritate*, *imperatoria voce* loqui, vel, vno vocabulo, *praecipere* et *imperare* deſignat, *eminentiae* nimirum cuiusdam *idea*, ceu *acceſſoria*, quam et ἔμφασιν vocant, adſcita. Nil equidem fingo, quod a ſanctioris genio linguae remotum vlla ſit ratione. Namque hanc poteſtatem idem adſumit verbum hoc ipſo *primo* Γενέσεως capite, 6. 9. 11. ſ. idemque, id quod illuc in primis pertinet, de Deo etiam in loco vſurpatum. Non eſt hic ſilentio praetereundum inſigne, prorſusque eximium, DAVIDIS, qui carmina inſtinctu diuino adflatuque fudit, effatum:

Digitized by Google

ſatum: IPSE אמר *dixit*, ויהי *et* orbis *fuit*, IPSE צוה *praecepit, iuſſit, imperauit,* ויעמד (*) *et* ſine mora *ſe ei ſtitit* ſiue *exſtitit*, Pſalm. XXXIII, 9. Add. com. 6. Quo quidem loco alterum verbum, id quod ſanctiſſimo vati in more poſitum eſſe ſolet, cum priori ἐπεξηγήσεως ἕνεκα, hoc eſt, eius dilucidandi gratia, appoſite conuenienterque coniungitur. Ipſum illud, quod declarandi cauſſa huc aduocauit vates, alio, eoque plane ſimili, exſtat loco: nempe Pſalm. CXLVIII, 5. IPSE צוה *iuſſit, et ea creata ſunt*. Vim addunt ſignificationi alia, praeter haec, loca: Ion. II, 11. Eſth. I, 10. 13. 17. VI, 1. Ita ergo אמר apud Hebraeos frequenter ſumitur, apud Arabes vero ſemper: vnde אמיר *dux*, *imperator*. Euolu. IO. HEESER, qui voces chaldaicas, et multas Hebraicas, in ſeparato explanauit volumine (**) Neque in ſacris NOVI FOEDERIS oraculis inuſitatum, vt εἰπεῖν idem, quod *iubere*, ſignificet, vt Matth. IIII, 3. XX, 21. Marc. V, 43. vbi τὸ εἰπε per διέταξε LVCAS, cap. VIII, 55. exponit, Luc. XVIIII, 15. alibique. Neque ARISTOPHANES aliter, *Equit*. v. 1021.

Σοὶ δ' ΕΙΠΕ σώζεσθαί μ' ὁ Φοῖβος τὸν κύνα

*Te autem* IVBET *Phoebus ſeruare canem.*

*Plut*. v. 40. Non ſine appoſitione horum, et aliorum, THVCYDIDIS, ARISTIDIS atque ARRIANI, exemplorum, haec monuit IACOBVS ELSNER, philologus inclytus. (***) Cum vero *vſus* foris arceſſitus, vim iſtam noſtrae roboret dictionis, tum maxime vox יהי in contextu appoſita, atque *imperandi* virtute valens, eamdem confirmat. Verbum hoc היה eſt mediae י et littera ה finitur. Habet illud in tertia futuri temporis perſona יִהְיֶה ſed praemiſſo ו, vt dicitur, conuerſiuo, naſcitur וַיְהִי. Vltima nimirum littera ה interit, ob accentum reuocatum, ac fit ֶ abiecto, metatheſis punctorum et ִ, quoniam י in ְ non poteſt quieſcere, ſed ſuum poſcit

 ful-

(*) Hoc verbum non refertur *ad Deum*, ſed ad vocem antecedentis *com*. poſtremam תבל, quae *orbem* denotat.

(**) In *Obſeruatt. Philol. Theol.* in omnes voces *Chald*. et multos *Hebr*. V. T. ex optimis quibusque *Lexicographis*, *Commentatoribus*, *Criticis* et *Scholiaſtis* digeſtis, Amſt. CIƆ ƆCCC XIII, p. 64. ſ.

(***) In *Obſeruatt. ſacris in* N. F. *libros*, p. 147.

Digitized by Google

fulcrum. Nec vero inſulſum erit, ſi, cum aliis, ſciſcas, vocalem in locum ſubſtituendam cum, natiuo conſonae ר fulcro, commutari: vnde, poſteriori: pereunte, quippe quod cauſſa prioris fuerit permutati, non poſſe non prius in ſuum locum reuerti. Cauſſa enim ceſſante, fit, vt et effectus ceſſet. Eamdem, quam vau conuertens efficit, formam et mutationem futura abſolute poſita, apud Hebraéos, in *mandatis* et votis haud raro ſubeunt: maxime in verbis, quorum tertia eſt ה quieſcens. Vt igitur Hebraei dicunt: וַיְהִי *et fuit*, ita etiam יְהִי *ſit*, pondus *mandandi* aliquod huic formae adiicientes, dicere ſolent. Hanc ſacroſanctae linguae proprietatem IACOBVS ALTINGIVS, qui ſacras et Hebraicas litteras in Groningenſium academia cum plauſu olim profeſſus eſt, opportune adnotauit, idoneisque illuminauit exemplis. (*)

## §. XIII.

HOC, quod attulimus, declarationis genere pro certo adſumto, ſicut adſumi poſtulat: ſequitur illud, vt verba MOSIS: ויאמר אלהים parum accurate vertantur: *et dixit Deus*. Generalis potius ac ſpecialis ſignificatio amico erat foedere copulanda, et vel vno, vel pluribus exprimenda verbis: *et iuſſit, praecepit, mandauit, imperauit, cum imperio loquutus eſt Deus*. Huc et LONGINI, primi τȣ̃ ὕψȣς Moſei obſeruatoris, valuit opinio: quae tanto maius apud me pondus habet, quanto certiorem §. XII. me eſſe iuſſit, eam ab optimis Graecis poteſtatem verbo εἰπεῖν ſubiectam eſſe. Nemo me poſtulet adfictae cuiusdam LONGINO ſententiae, a qua is alienus fuerit. Ponderaui verba, et mentis, et aurium quodam teretium iudicio: nec potui aliter, atque ita, ſtatuere. Namque, hac adſcita expoſitione, ſenſus patet ſublimis. Aſt id, quod ſublime eſt, difficilius videt, qui *generalem* modo notionem verbi Graeci εἰπεῖν ante oculos poſitam habet. Quare melius conſuluiſſent verſionum conditores, ſi Deum *cum imperio loquentem* induxiſſent. Contra vero ea nullum plane

(*) Vid. *Fundamenta Punctationis Linguae S.* a GEORG. OTHONE, G. et OO. LL. Prof. Marpurgenſi, CIƆIƆCCL emiſſa p. 326. ſ.

ne ὕψει perſpicere valet, eam qui in explicatione remouet ἐμφασιν. Virorum illuſtrium, P. D. HVETII et IO. CLERICI, hoc compertum eſt exemplis. Ille enim arbitratur, *actum voluntatis*, ſicut *verbum*, hic nobis repraeſentari: neque hic ab alia ſtat opinione. Nexum habent cogitationes et verba, isque tantus eſt, vt etiam taciti cogitationes, quas verſamus animo, verbis veſtiamus. Hinc veteres Hebraei ſaepe mera animi conſilia, verbis licet numquam indicata, voce אמר exprimere ſolent. Non praeteriit haec linguae ſanctae proprietas CLERICVM, eamdemque ad hunc accommodat locum, pondere illi ex Exod. II, 14. et II. Sam. XXI, 16. addito. Hunc igitur ſi audias, vult MOSES, Deum de creanda luce *conſilia* agitaſſe, et ſtatim, ac *voluit* lucem fulgere, illico eam emicuiſſe. (*) Equidem haud abnuo, *rem ipſam*, ſi bene putetur, ita explicari poſſe: ſed diſtinctius, philoſophia duce, hoc argumentum expedire iuuat. Deus aut *loquitur ſecum*, hoc eſt, *cogitat*, aut *vult* aliquid, quod ad res condendas vel conditas pertinet: aut *loquitur cum rebus creandis vel creatis*, id eſt, communicat cum illis *cogitata* aut *voluntatem* ſuam, *cum imperio*. Sic, exempli gratia, Deus, antequam orbis fuit, omnes, quotquot hodie conditae ſunt, res ſibi ab aeterno repraeſentauit, earumdemque cogitauit ac voluit *poſſibilitatem*: detur mihi venia vocem hanc in philoſophicam ciuitatem iam pridem adſcriptam in rem hic meam conuertendi. Idem Deus de omnibus beandis hominibus ab aeterno iam agitauit, et hodieque agitat, conſilia: verum quot, obſecro, ſunt inter mortales, qui huic eius non obſequuntur voluntati? In priori exemplo *vult* Deus, ſed ita vult, nihil vt *iubeat*. In altero *vult* pariter et *imperat*, vt ſalutaribus eius conſiliis omnes pareant homines: plurimi vero ita ſunt imprudentes et inconſiderati, ea vt reſpuant, ac viuentes videntesque perire malint. Quod ſi porro Deus *cum imperio res adloqui condendas* dicitur, haec φράσις idem denotat, quod *iubere, imperare, vt res, quae nondum ſunt, ſint et exſiſtant*. Dum ergo MOSES Deum inducit cum imperio, lucem, quae nondum erat, adloquentem, eumque

 adeo,

(*) in Commentariis *ad hunc locum*.

adeo, iſta vt ſit, iuſſiſſe, innuit: his quidem diſertis verbis actum diuinae omnipotentiae eum, quo cognitam ab aeterno *lucis poſſibilitatem* ad *realem* perduxit *exſiſtentiam*, non ſignificandum ſolum, ſed etiam declarandum ratus eſt vir ſanctus. Actus hic non permanſit intra Deum, ſicut actus omnes ſibi res, quae modo cumque *fieri poſſunt*, repraeſentandi comparatus eſt, ſed extra Deum produxit aliquid. *Imperium ſolius Dei in nihilum iſtud*, ex quo, qua *infinita* valet *potentia*, res omnes extraxit, hiſtoricus inſpiratus edocere voluit. Cum cura haec, velim, conſiderentur, eo quod totius, cui aduocationem hic praeſto, cauſſae iis vnice vertitur cardo. Nemo, praeter Deum vnum, abſolutum in res poſſibiles, quae nondum reuera ſunt, habet et exercere poteſt imperium, quod in eo conſiſtit, vt iubere, vt exſiſtant, valeat. *Ex nihilo aliquid facere*, id quidem nullis deſcriptam finibus potentiam requirit. *Modus*, quo diuina voluntas et omnipotentia hoc exercet imperium, omnem vim humanae ſuperat intelligentiae. Hoc quidem certum et extra litem poſitum, non verbis externe prolatis, ſed interna quadam diuinae omnipotentis voluntatis id fieri virtute et efficacitate. Namque res, quae haud ſunt, iuſſum verbis declaratum capere nequeunt. At omnia tamen poſſibilia diuino reapſe ſubiecta ſunt imperio ac poteſtati. *Τὰ πάντα διὰ τὸ θέλημά σου εἰσὶ, καὶ ἐκτίσθησαν*, Apoc. IIII, 11. Variis hoc imperium modis ſacrae nobis litterae ob oculos ponunt. Deum appellant *καλοῦντα τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, vocat ea, quae non ſunt, vt ſint*, Rom. IIII, 17. add. Ieſ. XLVIII, 12. Hebr. XI, 3. et Lib. II. Maccab. c. VII, 28. Deus dicitur Ο ΕΙΠΩΝ *ἐκ σκότους φῶς λάμψαι*, is, QVI IVSSIT *lucem e tenebris emicare*, II. Cor. IIII, 6. Qui locus ex commemorata MOSIS narratione petitus noſtram haud parum corroborat enodationem.

## §. XIIII.

AT vero Deus etiam praeterea *cum rebus creatis*, vt cum vatibus ſuis ſanctiſſimis, *loquens* in ſacro inducitur codice, dum eorum animis conſilia et voluntatem ſuam immediate patefecit, quam verbis poſtea conceptis populo declararunt illi. Haec res, *φράσει* ſacra, *loqui in homine*, dicitur. Sic

DAVID,

Digitized by Google

DAVID, in verbis ſuis vltimis: *Spiritus Iouae, inquit, loquutus* eſt בי *in me;* ומלתו על לשוני *ideo eloquium eius ſuper lingua mea* nunc *eſt*, II. Sam. XXIII, 2. Haec immediata diuina mentis illuminatio a Iudaeis רוח הקדש, a nobis *θεοπνευςία*, praeeunte diuo PAVLLO, II. Tim. III, 16. nec non *λόγιον τȣ̃ Θεȣ̃* Rom. III, 2. dicitur: cui quidem copioſius enarrandae non inhaeremus, quum otia nobis fecerit HERMANNVS WITSIVS, theologus olim ſummi in Reformato coetu nominis. (*) Eos autem, qui hanc Dei inſpirationem cum eo imperio, quod in res poſſibiles, vt exſiſtere incipiant, exercet, re non ſatis curate putata, confundunt, facile reuincam. Ad lucem ex nihilo extrahendam non requiritur communicatio cogitationum, neque interna, neque externa, quippe quam lux ratione carens haud intelligit. Modus hic *imperandi* diuinus omnem mentis finibus contentae vincit virtutem. Contra vero ea *θεοπνευςία* per internam cogitationum communicationem facta eſt. Cogitationes autem verba ſunt animi nullo externo organo ſonoque expreſſa. Ergo verbis animi ſpiritui conuenientibus Deus loquutus eſt in viris a ſe actis excitatisque: quamquam hic etiam modus, quem ad modum ſpiritus cum ſpiritu ſua communicet cogitata, a nobis ignoratur. Nec tamen ſolus infinitus ſpiritus ea vtitur excellentia, vt cum finitis ſpiritibus, quidquid cogitat et vult, communicare valeat. Spiritus quoque finiti, inferni ac coeleſtes genii, hac eadem inſtructi ſunt potentia, vt cogitata ſua cum inter ſe, tum cum animis noſtris, communicare poſſint. Multo minus hominum ad homines adloquutio eo eſſe loco iure videri poteſt, vt cum iſto Dei eloquio, quo luci, vt eſſet, imperauit, poſſit comparari. Colligam, his dictis, rationes. Solius infinite potentis Dei eſt, imperare, vt lux, quae nondum eſt, ſit. Itaque, ſi quid iudicando valeo, ſacer hiſtoricus maximum orbis opificem *proprie, ſine figura*, lectori, vt *ſummum* propoſuit *Imperatorem* ac *Dictatorem*, cui ſoli et vni res parent nondum exſiſtentes. Eſt hoc *ὕψος* quoddam diuinum, et ſupra omnia humana infinito interuallo euectum. IO. CLERICVS, vir eximius, dum *ἀνθρωποπά-*



(*) Miſcellan. Sacr. Lib. I. p. 16. ſ.

θειαν hic aliquam quaerit,(*) in errore verſatur. Homines etenim in res nondum creatas nullum habent imperium, vt ab hoc loquutio de Dei imperiis petita eſſe, ſecunda veritate, dici queat. Atque id, quod in conditas hodie res tenent, imperium non proprium illorum eſt, ſed a Deo ipſis datum et indultum. Ergo excellentiſſima potius θεοπρέπεια, et prorſus ſublimis, MOSIS eſt loquutio, qua nihil Deo conuenientius ac dignius, et quam magni inter mortales viri, pace Dei, ſupremi Imperatoris, ad ſe transferre ſolent. Nec linguae genio, vt vult cum HVETIO ſuo CLERICVS, ea eſt tribuenda: namque haec diuinatio teſte caret et auctore. Verbum quidem אמר ex natura linguae, Hebraeis idem, quod Latinis, *imperauit*, ſignificat: non autem tota loquutio, vti in Moſea hiſtoria legitur, Deo aptata, ex indole ſanctioris ſermonis idcirco eſt repetenda. Finge tibi, ſcriptorem alium, aut Graecum aut Latinum, eamdem narrare rem debuiſſe: nonne alter, munditiei latinitatis rationem habiturus, optime dixerit; *cum imperio edixit*, vel, *imperauit Deus: ſit lux; et* ſine mora *lux aderat?* Nullum hic exſtat ἰδίωμα Hebraicum. Omnis, qui *iubet* aliquid fieri, *loquitur*. Homo externis loquitur verbis, qui rem vult aliquam ab alio perfici. Deus autem ea, quae non ſunt, eſſe iubens, internis opus habet verbis, hoc eſt, cogitatis. *Imperium* ac *iuſſus* Dei, qui ad τὰ μὴ ὄντα pertinet, eſt efficax eius de *reali* eorum *exſiſtentia* ſuſcepta *cogitatio*, quam ſtatim, vt rem eſſe ita cogitauit, ipſa illorum effectio, per *infinite potentem* eiusdem *voluntatem*, conſequuta eſt. S. PAVLLVS, quem ipſe Deus erudiuit, iſtud Dei ῥῆμα omnium optime per τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ declarat, Hebr. I, 3. Itaque a nobis non diſſidet ARISTOBVLVS, philoſophus inter Iudaeos peripateticus, qui, PTOLOMAEI PHILOMETORIS aeuo, vixiſſe dicitur,(**) dum *vocem Dei* non *certo verborum numero concluſam eſſe* monet, ſed *ipſam rerum diſpoſitionem* hac indicari a MOSE, contendit. Verba hominis recitauit EV-

SEBIVS

(*) In Comment. ad *locum indicatum*. Vid. et loci, quos hic excitauit, et add. notae ad *Examen Huetianum*.

(**) Videtur hic homo HVMFR. HODY, ſi quis alius, ſuſpectus in Diſſ. de verſione LXXuirali, Lib. I. cap. VIIII.

Digitized by Google

SEBIVS. (*) Quin et olim iam PYTHAGORAS, SOCRATES ac PLATO, principes Graeciae philoſophi, faſſi ſunt ac prae ſe tulerunt, ſe toties Dei vocem ſibi audire videri, quoties hanc rerum vniuerſitatem intuerentur.

## §. XV.

IAM, qua coepimus, via, in explanandis reliquis MOSIS ac LONGINI verbis pergemus. Vbi quidem ante omnia quaerimus, quomodo vox יְהִי omnium optime conuertatur. Errant, meo quidem iudicio, qui per FIAT eam interpretantur. Sic VVLGATA habet verſio: *fiat lux*; et *lux facta eſt*: vtpote cuius auctor Graecam Alexandrinam ſequutus eſt: γενηθήτω φῶς, καὶ ἐγένετο φῶς. At verbum γίνεσθαι ſaepius etiam *eſſe* deſignat: quare Graeca verſio per ſe ipſa haud eſt inepta, eoque nomine caſtiganda. Verum, ambiguitatis amoliendae gratia, haec melior eſt translatio SYMMACHI: ἔστω φῶς, καὶ ἐγένετο φῶς, atque haec Latina noſtra: SIT LVX! ET ERAT LVX. Non miramur quidem, eos MOSIS interpretes, qui ab ineunte aetate ſibi ſuaſerunt, nihil hominis, qui Romanae Curiae praeſidet, carius et ſanctius eſſe decretis oportere, ab illa, quam nominauimus, verſione ſeduci ſe paſſos eſſe. Namque in illorum hoc etiam eſt numero, *vulgatam*, quae dicitur, conuerſionem vt ſacroſanctam recipi debere. Ii vero, qui LONGINVM ex Graeco ſermone in *Latinum* et *Gallicum* verterunt, TOLLIVS ac D. DESPREAVX, qui BOILAVII nomine celebrior eſt, ſuam ornaſſent ſpartam, ſi ab hac vitioſa ſibi cauiſſent conuertendi ratione. MOSI pariter et LONGINO *Britannus* atque *Italus* ſatisfecit interpres. Noſtrum nunc eſt, verſionis eius, quam et dedimus et approbauimus, rationem reddere. Ex *verbo*, vt Grammatici loquuntur, *paſſiuo*, *fiat*, *facta eſt* lux, poſſet concludi, a Deo alium quemdam Deum iuſſum eſſe lucem creare, atque ab hoc lucem reuera creatam. Erudita CLERICI eſt obſeruatio, quam hic ſubiicio. (**) Quod quum a vero abhorreat, rectior haec et MOSIS

(**) Praepar. Euang. Lib. XIII. c. XII. Δεῖ γὰρ λαμβάνειν τὴν θείαν φωνὴν, οὐ ῥητὸν λόγον, ἀλλ' ἔργων κατασκευάς. κ. τ. λ.

(*) in Notis ad *Examen Huetianum* p. 212. f. de la *Biblioth. Choiſie*, vbi verba ita ſe habent: *il y a proprement dans l'Hebreu: que la*

Digitized by Google

SIS menti conuenientior erit tranſlatio: *ſit lux!* et *fuit lux*; aut: EXSISTAT LVX; et EXSTITIT. Verbum enim *exſiſtere* idem, quod *eſſe incipere*, ſignificat. Ita ſane ipſe M. T. CICERO, qui aurea aetate in coelum latinam elegantiam extulit, verba, ſi furioſus *exſiſtet*, Lib. I. *ad Herenn.* C. XIII. velut interpretatur: ſi furioſus, inquit, *eſſe incipit*, Lib. III. *Tuſcul.*(*) De reliquo, qualis fuerit אור ſiue LVX *illa prima*, et cui vſui fuerit, de eo quidem nolumus ſubtilius philoſophari, quum nihil hac in re a viris eruditiſſimis tentatum ſit, quod non intortum ſit huc atque illuc et inflexum nodis, qui facilius ſecantur, quam ſoluuntur. Hoc certum eſt, et nulla eget enodatione, aliud, ac ſolis lumen per primum orbis triduum fulſiſſe, atque hoc, velut ortum et occaſum ſolem, emenſum eſſe. Ante quartum enim diem nec ſol, nec reliqua ſidera, emicuerunt. Quare lux illa, quae ſolis ortum anteceſſit, alia omnino fuerit, neceſſe eſt: cuius naturam et cauſſam iuxta ſcio cum ignariſſimis. Quod addit MOSES, ויהי אור ac LONGINVS, καὶ ἐγένετο φῶς, hoc eſt, *et fuit, exſtitit lux*: id quidem indicio

lumiere ſoit, et la lumiere fut; *ce qui a meilleure grace, que de dire:* que la lumiere ſoit faite et la lumiere fut faite. *Car à lire ces dernieres paroles, on diroit, que Dieu commanda à quelque autre* Etre de faire la lumiere, et *que cet autre Etre la fit.*

(*) Hinc et verbum *exſiſto* pro *ſequi* occurrit, quando ex praecedenti ſermone aliquid concluditur. Sic CICERO *de natura deorum*, Lib. I. c. V. *ex quo exſiſtit, multa eſſe probabilia*: cetera omitto. Quare Cel. Abbas d'OLIVET ſenſum magis, quam verba, expreſſit, dum *nous ajoutons*, Latinum *ex quo exſiſtit*, conuertit. At ſi verba, vt fas erat, retinere voluiſſet, haec melior fuiſſet verſio; *d'où il s'enſuit.* Nam *ex quo exſiſtit* idem eſt, ac: *ex quo ſequitur, ex quo oritur, emergit.* Vide Entretiens de CICERON de la Nature des Dieux, Paris, CIƆIƆCCXXI, 12. Verſionem hanc elegantem non ſine laudatione recenſuit IO. CLERICVS, *Bibl. anc. et mod.* Tom. XVI. Part. I. Art. VI. p. 209. ſ. Abbas D'OLIVET, qui *Oeuvres Poſthumes de Mr. de Maucroix* CIƆIƆCCX edidit, eam confecit, et notis criticis auxit illuſtris BOVHIER, in ſupremo Diuionenſium Senatu Praeſes, vir non minus doctrina, quam dignitate conſpicuus. Eſt hic idem ille, qui Diſſ. de *priſcis Graecorum et Latinorum litteris* adornauit, P. DE MONTFAVCON *Palaeographiae* ſub finem adnexam.

Digitized by Google

cio eſt, lumen iſtud *μὴ ὂν* iubenti Deo confeſtim paruiſſe vt *ὂν*, atque alterum orbis hemiſphaerium luce colluſtratum eſſe, quae intra certam horarum circumſcriptionem, inſtar ſolis, terram ambierit.

## §. XVI.

AD ea verba quod attinet, quae ex *nono* libri MOSIS primi *commate* contracta recitauit LONGINVS: *γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο γῆ,* haec etiam PEARCE: *Sit terra! et fuit*, atque GORIVS Italus, *Sià la Terra! et fu la Terra*, rectius conuerterunt, quam TOLLIVS ac BOILAVIVS, quibus exemplum, quod omni ex parte ſequuti ſunt, TANAQ. FABER praeiuit. Nam *terra* tum non primum *coepta eſt fieri*, quippe quae iam aderat, et aquis adhuc tecta latuerat. Diuinus quidem hiſtoricus verbum habet תראה, *appareat*, *conſpicua fiat*, et ex aquis in lucem emergat terra et ſicca humus: (*) quicum et Graeci ſe coniunxerunt explanatores, *τῷ ὀφθήτω* haud parum conuenienter vſi. Ipſa igitur MOSIS oratio norma erit ac praeſcriptio, ad quam LONGINI verba diiudicanda. *Γενέσθω γῆ*, erit: *adſit terra, oculis, ſegregatis aquis, ita patens, iis vt, nulla amplius re interueniente, vſurpari poſſit; et aderat.* Res, quas eſſe nouimus, aut *mediate* ſenſu noſtro percipimus, aut *immediate:* vtor voculis, quae a philoſophis omne tulere punctum. *Terra* iam erat, ſed non poterat *ἀμέσως* eius exſiſtentia ſentiri; quod ſummus artifex nunc demum volebat. Non antea, ſed hoc demum tempore, vt rem *Virgilianis* dicam verbis:

*Et durare ſolum, et diſcludere Nerea Ponto*
*Coepit.*



(*) Ex hac diuini hominis recenſione nata videtur *τῶν παμπαλαίων* ex Graecis opinio, omnia ex aqua ortum ducere. Neque a veri abhorret ſpecie, CALLIMACHVM illuc reſpexiſſe, dum originem natantium, quae e terra emerſerint, inſularum ad NEPTVNVM *Σεισίχθονα* retulit auctorem, *hymn. in Del.* v. 30. ſ. Res enim CALLIMACHVM, Alexandrinae, vt fertur, Bibliothecae Praefectum, ex verſione Seniorum recens in eadem repoſita praeterire haud poterat. Nec vero alia in hocce vate deſunt exempla, ex ſacris tabulis petita, quae Ill. EZ. SPANHEMIVS et A. T. F. DACERIA, femina litteratiſſima, paſſim obſeruarunt.

Digitized by Google

LVX autem, de qua diximus antea, quam Deus iuſſerat eſſe, nondum erat, ſed eſſe incipiebat: ita etiam, vt, ſi res quaedam creatae, organis inſtructae, praeſentes fuiſſent, hanc oculis lucem videre, eiusdemque beneficio colorum varietatem diſcernere valuiſſent. Neque ad hanc rem perficiendam Dei non neceſſaria erat opera. Certa enim loca, vnico temporis puncto, aquis adſignare, in quibus haereant, nec totam telluris vago fluctu inundent ſuperficiem, id quidem requirit intellectum, tot mundi loca ſimul et vno velut adſpectu ſibi repraeſentantem. Hac autem infinita ſcientia ſolius Dei valet intellectus. Idem effectus cauſſam flagitabat, quae vno validiſſimo perfecerit *iuſſu*, vt aquae vndiquaque circumfluae ac diuiſae in Oceanum et in tot eius ſinus, nec non in proprios alueos influerent. Haec vero cauſſa infinite potens nulla eſt, praeter Deum, alia. Equidem certus ſum, ad iſtud *Dei imperium* reſpexiſſe Rhetorem, in Moſeis verbis ὕψος τι diuinum admirantem. Namque quum MOSES com. 9. eamdem, quam com. 3. praemiſerat, loquendi formulam, ויאמר אלהים, repetierit: verba etiam Rhetoris noſtri, εἶπεν ὁ Θεὸς, ad γενέσθω γῆ κ. τ. λ. pertinebunt. Quid, obſecro, ſublimius, quidue excelſius, hocce potenti Dei eſt imperio? Laudem promeretur LONGINVS, homo profanus, quod eo ſe extulit ingenio, vt ſublimem hic cogitationem perſpiceret. MAXIMVS TYRIVS, qui etiam poſt CHRISTVM natum Platonicis nomen dedit, *Ioui* ſuo, quae Iouae Optimo Maximoque vnice vindicanda erant, attribuit: Ὁμοῦ δὲ, inquit, τῷ Διὸς νεύματι γῆ ξυνέστη-καὶ θάλαττα ξυνέστη, *vna cum nutu Iouis terra conſtitit, et mare.* (*) Ex ſacro codice, id quod in more poſitum recentioribus erat Platonicis, et rem petiit homo et loquutionem, quam vero ficto temere IOVI adaptauit. Certe τὸ νεῦμα, *nutus*, voluntatem, et eam ſummam, potentium potiſſimum, et magnatum inter homines, ſaepenumero deſignat, quippe qui *nutu imperare* dicuntur. Sic et omnium maximum Dei, quo haud eſt potentior alter, imperium a CICERONE, binis in locis, quae nobis iam ſuccurrunt, *nutus* exprimitur nomine.

*Nutu*

(*) Diſſ. XXV. p. m. 256.

Digitized by Google

*Nutu Iouis optimi maximi factum.* (*) Et: *haec omnia deorum immortalium nutu atque poteſtate adminiſtrari.*(**) Deum et *Numen* a Latinis vocari, conſtat inter omnes. Habemus aliquid, idque ex philoſophia petitum, in promtu, quod ad vberiorem verbi הוה EST, declarationem non alienum erit obſeruare. Latitat in hac copula, id quod in omnibus linguis contingit, ambiguitas quaedam, qua eam diuidere iubemur in *eſt* vel *primi adiecti*, e.g. phoenix *eſt*, vel *ſecundi adiecti*, e.g. phoenix eſt auis. Ex fontibus vmbraticorum doctorum, qui a *ſchola* ducunt nomen, haec hauſi verba. Quod ſi magiſtri, quem conſectantur, deſideras lingua loqui, prius illud *eſt* vox eſt *categorematica*, poſterius autem hoc, *ſyncategorematica.* Quanti hanc rem ſcire interſit, inſigne hoc edocebit exemplum. Illuſtris HVETIVS (***) illud RENATI CARTESII dictum: *cogito, ergo ſum*, ita reſoluit: *ſum cogitans, ergo ſum.* Atque hoc idem cum illa argutula CHRYSIPPI, philoſophi Aſiani, ratiuncula cenſet conuenire: *ſi lucet, lucet. Lucet autem. Lucet igitur.* Tantundem ergo, ſi HVETIVM audias, illud valet Carteſianum: *Si cogito, cogito. Cogito autem. Cogito igitur.* Verum enim vero confundit illuſtris et acutus Praeſul vocem *eſt*, hoc aut illo ſenſu ſumtam, quam CARTESIVS perſpectam habuit, et in hac re nihil peccauit, dum ab *eſt ſecundi adiecti* ad *eſt primi adiecti* vinculum duxit ratiocinationis, hoc modo: *ſum cogitans, ergo ſum*, hoc eſt, *exſiſto.* Ex interiori nimirum ſenſu, quo ſe ſentiebat cogitare, de ſui exſiſtentia philoſophus certiſſimus reddebatur. In MOSIS verbis, in quorum hactenus expoſitione verſati ſumus, *eſt primi* obtinere *adiecti*, quod meram exſiſtentiam declarat, nemo, opinor, in dubium vocabit. Haec nos monuiſſe, iis placebit, qui philoſophiam, vt qui maxime, colunt et amant: ab iis vero ridebimur, qui, aes circa cerebrum triplex geſtantes, rationem ſpernunt, et ex commentariis ſapiunt, a quorum auctoribus *philoſophia* in exſilium eiicitur.



(*) Catil. III, 9.
(**) de Orat. I, 43.
(***) in *Cenſura* CARTESII Cap. I.

Digitized by Google

## §. XVII.

RELIQVVM eſt, vt DE EO, QVOD SVBLIME in declaratis hactenus verbis obſeruauit LONGINVS CASSIVS, ex *rhetorice* ac *philoſophia* diſputemus. Iure ac merito id nobis facere videmur, quoniam LONGINVS non ſolum magnam *philologi* appellationem, ſed etiam illuſtre *rhetoris* κριτικωτάτου, ac *philoſophi* eximii, iam pridem retulit nomen. Vt vero priora illa honorum vocabula nemo hodie vocat in dubium: ita et ſingulari philoſophiae peritia virum vnum omnium maxime, eo, quo vixit, aeuo floruiſſe, tot exſtant veterum teſtimonia, quae omnes eius editores cum cura collegerunt. Teſtes ſunt libri, quos exarauit, philoſophici; qui quidem temporum interierunt iniuria. Teſtis in primis eſt PORPHYRIVS, acerrimi vir iudicii, qui Athenis LONGINO in philoſophia ſeſe erudiendum tradidit. Nil huic derogat laudi, praeter inuidiam PLOTINI, qui *philoſophi* titulum rhetori ac philologo noſtro concedere dubitauit. (*) Quod ſi vero rationem quamdam probabilem huius reddere odii potero, nullum erit amplius hominis conuicium. Fit ſaepius, vt, inter quos magnae laudis aemulatio eſt, inter eos aliqua intercedat obtrectatio. Ad hoc, quod vſu euenit inter homines quotidie, generatim ac vniuerſe animum aduertere iubemus. Eſt vero nobis alia in promtu, quae propria magis eſt, ratio. Liber περὶ ἀρχῶν, quem a LONGINO confectum legerat PLOTINVS, occaſionem huius dederat iudicii. Iam vero hunc ipſum περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, *de tribus principiis archicis,* peculiarem conſcripſiſſe librum, praeterit neminem. Deſeruerant philoſophi, qui poſt natum Seruatorem a PLATONE in primis eſſe videri cupiebant, ab hoc propoſitam trinitatem. Nouam introduxerat AMMONIVS, et, qui eum ſequebantur, DAMASCIVS, PROCLVS, PLOTINVS. Verum inter hos quoque tam diſſentientes vigebant hac de re opiniones, vt appareat, non habuiſſe eos, vnde concluſiones ducerent, certum principium. Id vero vnum plerique ſpectabant omnes, vt ſe non ſecus, atque Chriſtianos, trinum veluti

Deum

(*) PORPHYRIVS in *vita Plotini*, p. 10. EVNAPIVS in *vitis Philoſophorum et Sophiſtarum*, p. 16. ſ. *edit. Col. Allobr.*

Digitized by Google

Deum agnoſcere, multitudini perſuaderent. Maxima enim pars religionis, quam iuniores cudebant Platonici, ex Chriſtianorum ſumta erat libris. Delere poſſumus dogmata, quae veſte philoſophica induta in ſcenam produxerunt, deſignareque libros illos, ex quibus cogitata, quae ſua eſſe voluerunt, ſurripuerunt. Quod ſi fecerimus, nouum diuini cultus genus, ab his philoſophis effictum, vt *cornix furtiuis nudata coloribus* in conſpectu Chriſtiani orbis, plaudente ipſo, ridebitur. Coniectura igitur ducor, LONGINVM alio, quam PLOTINVM, modo doctrinam declaraſſe, et magis hac in re PLATONEM, quam Chriſtianos, ſequutum. Itaque is non erat a PLOTINO, licet a PLATONE fortaſſis, ac iunioribus aliis Platonicis, haud diuerſus eſſet. Ex his facile eſt iudicatu, nihil, niſi odium, hanc extorſiſſe calumniam: quam ſine negotio totam obtereremus atque contunderemus, ſi LONGINI liber hodieque ſupereſſet. Offendit praeterea, niſi mea me fallit ſuſpicio, PLOTINVM facilis, plana et elegans dictio, quam Rhetor et Philologus cum in ſcriptis ſuis omnibus, tum in hoc maxime *de principiis* libro adhibuit, quamque non imitari poterat ille. PLOTINI libri obſcura et perplexa dictione exarati ſunt. Haec viros, vt opinor, eximios abſterruit, quo minus eius contra *Gnoſticos* libello in rebus horum haereticorum deſcribendis frequenter vterentur. Haud ſcio, num is, a quo ſtilum didicit PLOTINVS, ei apud FABIVM (*) praeceptori ſimilis fuerit, qui diſcipulos obſcurare, quae dicerent, iubebat, Graeco vtens verbo: *σκότισον, obſcurus eſto!* Vnde illa egregia ſcilicet, vt FABIVS dicere pergit, laudatio, *tanto melior, ne ego quidem intellexi* Contra vero ea, LONGINI ſcripta, etiam philoſophica, ob terſam cultioremque orationem omnibus adeo probabantur, nihil vt ſupra. Hanc quidem ei PLOTINVS inuidebat laudem, verum quum eam, late quippe longeque diffuſam, obterere haud valeret, detrahere ſaltim ac diminuere de illa, quantum quidem in eius poſitum viribus erat, moliebatur. Quam viam ingreditur? Laudat parce. Oratorem ac philologum eum eſſe non negat, quia non poteſt, tot teſtibus inuitiſſimis. Quid ergo? aliam tentat rationem,



(*) Lib. VIII. Cap. II. Add. TAVBMANNI Diſſ. *de Lat. Lingu.* p. 58.

Digitized by Google

et periclitatur: demit ei magnum *philoſophi* nomen. Ego vero, qui animum a partium ſtudio alienum gero, dilutam admodum et exilem voci ſubiicio poteſtatem, ſi PLOTINVM vere iudicaſſe, ſciſco. Erat LONGINVS philoſophus, isque dignus illa, qua vixit, aetate. Verum non erat ille totus, quantusquantus erat, Platonicus: multo minus gloriari PLOTINVS poterat, hunc ſuum eſſe.

## §. XVIII.

IVVAT omnino cauſſam noſtram haec bona de noſtro ſcriptore concepta opinio. Non fugit nos, paucos inter antiquos rhetores inueniri, qui multum rectae tribuerint rationi. Non de aris ac focis, non de maiorum et minorum gentium diis, hic diſputauit noſter, quum eruditum περὶ ὕψους commentarium ſcripſit, vtpote quem litteratis vnice hominibus ſacrum eſſe voluit. De vulgi religione ſi expoſuiſſet ille, non nimis equidem multum illius fiderem dictis. De hac etenim dum diſceptatur, rhetores pariter, atque philoſophi parum mihi aequi arbitri eſſe videntur. Suos enim ſenſus multitudini ſuppeditant, et ex ſuo ingenio plebis metiri ſolent ingenium, figuris plus aequo dantes. Huius autem vitii nihil hic nobis metuendum erit, cuius in ſocietatem venire nobis haudquaquam conueniat. Nulla nos praeſumta occupauit opinio. Nec auctoritati hominis, nec antiquitati quidquam tribuimus. Eorum nos abhorremus morem, quibus, ſolius Euandri matris ſuffragio contentis, noua prae caſcis ſordent omnia, quique veteres vnos, quid elegans et cultum, verum falſumque ſit, acrius peruidiſſe ſciſcunt, nouos contra homines vmbrarum more vagari, vociferantur. A nullius nos pendemus guſtu et ſapore, ſiue nouus ille homo, ſiue nobilis antiquitate ſit. Scimus enim, tam varium eſſe ac diuerſum guſtum, vt de eo fruſtra ſuſcipiatur diſputatio. Suum cuique homini caput: ſuus pileus. Suus cuique aetati guſtus. Vt adeo, ſi ex DIDYMI aut ARISTARCHI, ſi ex SATVRNI ſaeculi, aut IOVIS aetatis hominum guſtu, id quod ſublime dicendum, conſtituendum eſſet, in ancipitem et creperam dilaberemur controuerſiam. Tutiſſimum erit, cultam rationem noſtro praeeſſe iudicio iubere. Quod ſi veritati eruditus obſequutus eſt homo,

Digitized by Google

mo, neque in captiones vix explicabiles ab eo inducimur: ſpondemus in noſque recipimus, eum ſibi patronos nos habiturum. Sin ab hac deſciuit, bellum indicimus ei, neque inducias paciſcimur. Vnum demus illi, aequitas poſtulat, acri eum valuiſſe iudicio, nec temere quidquam non cogitatum meditatumque in chartam conieciſſe. Huius enim, quoquo me verti, veſtigia ſe mihi obtulerunt: et laetor impenſe, omnium, quotquot euolui, doctorum virorum calculos hoc meum iam pridem tuliſſe iudicium.

## §. XVIIII.

HISCE praemiſſis, vt quae a me dandae erant, ſumtionibus, ὕψος illud, quod in diuinis verbis adnotauit LONGINVS, ex eius verbis exquiram. Atque iſtud nobis tanto facilius ſuccedet negotium, quanto firmiora ſunt, quae hactenus iecimus, ſublimitatis enodandae fundamenta. Patefecimus nobis viam ad ſublime Moſeum aptius accuratiusque dignoſcendum. Repetemus initio rhetoris et philoſophi verba, in MOSIS laudem dicta: ταύτη δὲ κ.τ.λ. ἐπειδὴ τὴν τῦ θείυ δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, vel, ſi mauis, ἐχώρησε, κἀξέφηνε. Vocem ταύτη, ſecundo linguae genio, V. C. PEARCIVS reddidit *ſimiliter*: cum quo Gallicum *Ainſi* Boilauianum, atque Italicum *in cotal guiſa*, plane conuenit. Dicitur enim ita, κατ' ἔλλειψιν τῦ ἐν et ὁδῷ. Itaque ἐν ταύτῃ ὁδῷ, plena loquutio, idem eſt, quod ὕτω: *hacce via, hac ratione.* PLATO: ταύτη καὶ ταῦτα ἐλέγετο, *haec etiam* ſic *dicebantur.* (*) At non tamen incommode, ſed apprime ſatis, IAC. TOLLIVS ἔλλειψιν ex ipſo orationis vinculo ſuppleuit, hanc in ſententiam: Ταύτῃ κατ' ἔλλειψιν τῦ νοήσει. *hac mentis altitudine.* Bina ſunt, quae in ſacro hiſtorico magna in laude poſuit criticus. Vnum eſt: *potentiam Numinis perſpectam habuit*, vel, altera, et ea probatiori lectione adſcita, *cepit, mente concepit.* Verbum non male vertunt interpretes, praeter TOLLIVM, qui *mente cepit imaginem* dixit. Ambigua vox eſt *imago*, dum et *interna* et *externa* eſſe poteſt. Diuina potentia ad ea pertinet, quae a viſu remota ſunt, cuius ſolius idea, praeter recordationem, imaginem adiunctam habet externam. Quare internam animi imaginem

(*) Euolu. LAMB. BOS. *Ellipſ. Graec.* p. 136. *edit. Celeb. Schoettgenii.*

Digitized by Google

ginem ſeu ſpeciem, quam ideam ac notionem appellant philoſophi, eamque talem, qualem de Deo concipere vis intelligendi poteſt humana, hic admittendam eſſe, res ipſa loquitur. Vox χωρεῖν, ſi vſum ſpectes, *generatim* idem, atque *capax eſſe* ſignificat, ita quidem, vt id, cuius aliquid capax vel non capax eſſe dicitur, ex ſermonis connexione arceſſendum ſit. Ex quo fit, vt, quando res ad intellectum pertinet, interdum etiam *capere*, *concipere* denotet: eo nimirum ſenſu, quo dicimus in vernacula: *etwas begreiffen, faſſen, eine idée, einen Begriff von einer Sache haben.* Sic Matth. XVIIII, 11. reperitur: *οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον, non omnes eius, quod dixi, ſunt capaces,* vt nempe congruenter ei conuenienterque viuant. Sic PLVTARCHVS: (*) *τὸ τοιοῦτον ἄριστον οὐ χωρεῖ προδοσιν, tam vile prandium non capax eſt proditionis.* IDEM: (**) *τὸ Κάτωνος Φρόνημα χωροῦσα, excelſi Catonis ſpiritus capaces ſunt.* PHILO *de mundo: mille alia ratio humana οὐ χωρεῖ, non capit,* vt plane intelligat. PHOCYLIDES V. 84.

*Ου χωρεῖ μεγάλην διδαχὴν ἀδίδακτος ἀκούειν.*

*Non capit imperitus magnam doctrinam, vt audiat.*

Eſt itaque certo modo *χωρεῖν vox* quaedam *relatiua,* quae ad aliquid, de quo ſermo inſtituitur, referri ſolet. LONGINVS igitur, quum de νοήσει ac Φρονήσει ſublimium in tota, cuius noſtra tractatio particula quaedam eſt, oratione loquatur, hoc ſibi vult: MOSES ἐχώρησε νοεῖν ſiue Φρονεῖν κ. τ. λ. *capax erat cogitandi, menteque concipiendi diuinam potentiam, konte ſich einen Begriff und Vorſtellung von der Macht Gottes machen.* Nunc perinde erit, ſi, in potentiae locum, actum ſolum ſubſtituas: *machte ſich einen Begriff, ſtellte ſich vor.* Alterum, quod laudi ducitur ſancto ſcriptori, illud eſt: *κἀξέφηνε, etiam* verbis *declarauit* ac patefecit, a καὶ et ἐκφαίνω. *Modum,* quo diuus hiſtoricus vtrumque praeſtitit, verba haec nobis ante oculos exponunt: *κατὰ τὴν ἀξίαν,* hoc eſt, *poſtquam potentiam Dei digne, pro dignitate ac meritis, prout meretur, animo et cogitatione ſibi repraeſentauit, etiam verbis digne eloquutus eſt.* Formula illa PLATONI, ISOCRATI, aliiſque melioris

(*) *Lycurg.* p. 47. *edit. Francof.* A. CIↃIↃXCVIIII. fol.

(**) *Caton. min.* p. 791.

Digitized by Google

lioris notae auctoribus, nihil fingi poteſt vſitatius ac ſollemnius. Gallicus rhetoris interpres binas intruſit voces, *la grandeur*, et *toute*, in hoc, *dans* toute *ſa dignité*. In verbis, *aïant* fort bien *conçû*, exſtat iam loquutio, κατὰ τὴν ἀξίαν, conuerſa, et poſt, *l'a exprimée dans ſa dignité*, ſufficit. Nil reſtat amplius, quam vt ex verbis hiſce concludamus, Rhetorem ac Philoſophum et in *verbis*, et in *ſenſu* MOSIS, cum in *eloquutione*, tum in νοήσει, ὕψος τι ſiue *ſublime quiddam* quaeſiuiſſe.

## §. XX.

ATQVE idem cum oratore noſtro ſenſit IAC. TOLLIVS, vir eximius, qui et illuſtrem P. D. HVETIVM, in alia omnia hic abeuntem, notauit. (*) Cum TOLLIO poſtea ſeſe coniunxit NIC. BOILAVIVS, poeta ſatyricus in *Gallia* clariſſimus, atque HVETIVM acerbius, ob negatum ὕψος Moſeum, obiurgauit. (**) Multos habuit is illuſtres et meritiſſimos in Gallia viros, qui huic ſublimi, eadem, qua ipſe, contentione ſunt patrocinati: (***) in quorum erant numero Epiſcopus de MEAVX, Abb. de RENAVDOT, Abb. DE S. LVC, D. DE COVRT, D. DE LAB ROVÉ, DD. DE PORT-ROIAL, inque his maxime LE MAITRE DE SACY. (****) His adiungendi ſunt Magnus Princeps DE CONDE, et duo Principes DE CONTI. Cum BOILAVIO illuſtrem quoque Abbatem de BELLEGARDE feciſſe, nunc demum, dum haec

F ſcribo

(*) in Notis *citato* LONGINI *loco* ſubiectis, p. 61. ſ.

(**) in *Praefatione*, quam *editioni tertiae* du Traité *du ſublime*, CIↃIↃCLXXXIII praemiſit, ſemper in iteratis editionibus repetita.

(***) Vid. *Oeuures*, Tom. III. p. 290. ſ.

(****) Hic eſt princeps earum *Sacri Codicis* translationum auctor, quae ſub nomine DD. de *Port-Roial* in ciuitatis chriſtianae lucem editae ſunt. Eidem *la Verſion du* N. T. *du Mons* debemus: quae tantos excitauit motus, vt duo, et quod excurrit, annos in cuſtodia, quam *la Baſtille* vocant Pariſini, teneretur. Hic receſſus viri haud dubie infirmauit ſanitatem: at tamdiu tamen lucis vſuram habuit, donec verſionem S. Scripturae perfecerat, A. CIↃIↃCLXXXIIII. mortalium numero exemtus. Vid. IEAN LE CLERC dans la *Bibl. Vniu. et Hiſtor*. Tom. III. p. 513. ſq. Notae, quibus V. C. DE SACY Sacras illuſtrauit Litteras, quum *piae* magis, quam *criticae*, ſint: dubi-

Digitized by Google

ſcribo, reperio. (*) Ante hos iam in *Hollandia* HVGO GROTIVS, vir magnus, in quem nulla temere credulitatis cadit ſuſpicio, Moſeam ſublimitatem, praeeunte LONGINO, miratus eſt: quem poſtea alios, qui veritatem religionis chriſtianae in ſeparatis libris expoſuerunt, ſequi non puduit. In *Magna Britannia* IO. HVDSONVS, primus Bibliothecarius Bodleianus, notam illam Tollianam, qua laudes τȣ ὕψȣς Moſei continentur, nec carpſit, nec deleuit, ſed tacitus approbauit. SAMVEL SHVCKFORDVS, A. M. Rector Sheltonenſis ingenioſiſſimus, ea LONGINI obſeruatione nihil aequius eſſe ſciſcit, et miratur, nec poteſt mirari ſatis, praeconceptas opiniones homines etiam acutos excaecare prorſus, ſenſibusque et oculis priuare poſſe. Quibus quidem verbis HVETIVM, licet eum diſerte haud nominet, petiiſſe videtur. (**) ZACH. PEARCE, dum hiſtoriam litium recentiorem in breui quadam notula, ſuo haud interpoſito iudicio, recenſet, (***) rem totam in medio reliquiſſe videtur. In *Italia* cultiore A. F. GORIVM, verſionis Italicae auctorem et editorem, a TOLLII opinione ſtetiſſe inde coniicio, quod hunc aduerſus HVETIVM cum laude citauit. (****) In litterata *Germania* haud eſt temere quisquam, quin LONGINI amicis et patronis palmam decernat: in quorum grege hi potiſſimum adnumerandi ſunt, qui, ſeueriori meditationi non adſuefacti, non, quo eundum eſſe ratio iubet, ſed quo ab aliis itur, eunt. Sed vt, quod ſentio, liberius dicam, omnibus illis auctoritatibus, licet magnae et in illuſtri loco poſitae ſint, parum equidem tribuo. Vſus enim rerum, quae in orbe litterato quotidie

gerunto equidem, num BOILAVIVM in hoc argumento multum adiutura eius ſit auctoritas.

(*) Vid. *Reflexions ſur l' Elegance et la Politeſſe du Stile*, à Paris, CIↃIↃCXCV, p. 381. ſ.

(**) Ipſa viri verba dabimus: *Longinus gives him*, Moſes, *an extraordinary Character, and thougt him a great Maſter of the* Sublime *from his Account of the Creation. An Obſeruation ſo iuſt, that one cannot but remark with ſome ſurprize, how much Prejudice may vitiate the Taſte and Judgment of a Writer of conſiderable Abilities*, in *The Sacred and Prophane Hiſtory of the world*, Vol. II. B. VIIII. p. 417. Conf. Conuerſio libri vernacula, cura et cum praefatione ven. PRAESIDIS edita, p. 262.

(***) p. 30. ſ.

(****) p. 58.

Digitized by Google

gerantur, diu me erudiuit, paucos eſſe, qui de rebus ſuo iudicio vtantur. Indicia mihi ſe obtulerunt, quae multos doctos, faciem ſi videas, homines, qui LONGINI amicos laudarunt, et inimicos reprehenderunt, Rhetorem ne euoluiſſe quidem, aut, ſi euoluerunt, nullo iudicandi acumine potentes fuiſſe, certum me eſſe iuſſerunt. *Pietati* nonnihil in hoc iudicio dandum eſſe, ſibi ſuaſerunt plurimi. Sed vellem, hi rem putarent acrius, et cogitarent, *veritatem* ad intellectum, *pietatem* vero ad voluntatem pertinere. Non procedit haec ratio argumentandi: hoc iudicium eſt pium; ergo verum. Solius intellectus, eiusdemque arte ratiocinandi exculti ac limati, eſt, quid verum falſumue ſit, conſtituere: voluntati contra, ſiue pia ſit, ſiue a pietate auerſa, cum veritate et eius exploratione, nihil intercedit commercii.

## §. XXI.

RATIONEM igitur infirmam a *pietate* ductam quum alii viderent perſpicaciores viri, iudicio LONGINI, hominis deorum venerationi addicti, non nimis grande pretium ſtatuendum eſſe, in animum, vt crederent, induxerunt. In his primas fert PETR. DAN. HVETIVS, qui cum in *Demonſtratione* ſua *Euangelica*, (*) tum in Diſſertatione Illuſtriſſimo Duci DE MONTAVSIER, A. CIↃIↃCLXXXIII conſecrata (**) χαρακτῆρος ἰσχνότητα perſequutum MOSEN, omneque ſublime in hiſtoria creationis ſpreuiſſe arbitratur, et in hac in primis multis rationibus confirmat. Sententia illuſtris viri, qui, dum vixit, ſacris Abrincenſium rebus praefuit, huc redit. Negat, in *verbis* aut *ſenſu* a MOSE concepto ſublimitatem quaerendam. Dat vero, in *ipſa rei natura* illam ineſſe. (***) IO. CLERICVS,

 vir

(*) Locum ſub §. VII. excitauimus.

(**) Sub ea inſcriptione, quam §. VII. pleniorem iamiam communicauimus. Diſſertatio *Pariſiis*, A. D. VII. CAL. APR. CIↃIↃCLXXXIII data fuit.

(***) Ita vero minus Illuſtris largitur Antiſtes, quam veritas flagitat. Vt adeo mirari conueniat, ven. IO. IAC. RAMBACHIVM iſtud HVETII iudicium, in quo, de Moſeo ſublimi non ex mente LONGINI, ſatis excelſe, ſed abiecte nimis, ſentit, omni ex parte ſuum feciſſe, in *Inſtitut. Hermen.* p. 322. edit. CIↃIↃCCXXXII.

Digitized by Google

vir celeberrimus, qui hanc Diſſertationem *Bibliothecae ſuae Selectae* inſeruit, ſuis eam punctis et ſuffragiis auxit. Quumque BOILAVIVS hanc e CLERICI calamo manaſſe Diſſertationem, crederet, et, oratione ad ipſum conuerſa, refutaret: (*) Boilauianam illam animaduerſionem notis ſuis caſtigauit CLERICVS, (**) nec vero facere potuit, ali us, neſcio quis, quin et ad obſeruationem Abbatis RENAVD. TII, nouae Boilauianorum operum editioni praemiſſam, reſponderet. (***) Omnes hae Diſſertationes, ex locis ſuis excerptae, et horum ipſorum operum Tomo tertio adnexae leguntur. (****) Non multos Huetiana patronos nacta eſt opinio, ſed in vno CLERICO tam acrem experta eſt propugnatorem, nullum vt deſiderauerit alium. Hinc et CLERICVS, propter hanc ſuſceptam defenſionem, magnam ſe ab HVETIO gratiam retuliſſe gloriatur. (*) Ill. etiam Abbas DE TILLADET, Huetianam ſententiam veriſſimam, Boilauianam contra male fundatam eſſe, palam teſtatus eſt. (**) Inter nos duo eximii Iurium Conſulti, et meritiſſimi viri, CHRISTIANVS THOMASIVS (***) et IO. GOTTL. HEINECCIVS, (****) quorum alter celeberrimam Halenſium Academiam hodieque ornat, ignoratae τῦ ὕψυς naturae et LONGINO

(*) Reflexion X. où Refutation d'une Diſſertation de Mr. LE CLERC, contre LONGIN, p. 295. ſ. Hanc meditationem compoſuit auctor A. CIↃIↃCCX. annos natus quatuor ſupra ſeptuaginta.

(**) Remarques de Mr. LE CLERC ſur la Reflexion X. de la nouuelle edition de LONGIN, par Mr. DESPREAVX, in *Bibl. Choiſie*, Tom. XXVI. p. 83. ſ. et in Opp. *Boilau.* p. 368. ſ.

(***) Reponſe à l'Auertiſſement, qui a été ajoûté à la nouuelle Edition des Oeuures de Mr. DESPREAVX, enuoiée de Paris, à Mr. LE CLERC, in *Bibl. Choiſie*, Tom. XXVI. p. 64. ſ. et in Opp. *Boilau.* p. 355. ſ. In hoc Reſponſo inter eos, qui rebus *Huetianis* ſtuduerunt, numeratur Mr. DE PELLISSON p. 369.

(****) p. 295. vsque ad p. 388.

(*) *Il,* Mr. HVET, *me fut très-bon gré, de ce que ie l'auois défendu contre* Mr. DESPREAVX.

(**) Vid. Oeuures de BOILEAV, Tom. III. p. 291.

(***) *Cautel. circa Praecogn. iuris*, VIII, 8 k. p. 111.

(****) In *Stili cultioris fundamentis*, p. 86. edit. Lipſ. CIↃIↃCCXXXIII. vbi Ill. THOMASII et recitat et probat iudicium, nec non p. 94.

Digitized by Google

GINO et BOILAVIO dicunt diem, atque in nullo minus loco, quam in Moſea illa commemoratione, vllum ſtili ſublimitatis reperiri veſtigium, contendunt. Stilum hic aperte ſimplicem eſſe ac tenuem, adſeuerant. Si quod ex ſacris tabulis exemplum orationis vere ſublimis arceſſendum ſit, ESAIAE, diuini vatis, oraculum illud: AVDITE COELI! (*) mirum in modum commendat THOMASIVS, quem illuſtris HEINECCIVS probat. Gallicum reprehendunt poetam, quod inter *ſtilum ſublimem* ac *ſublime* diſtinguat, et LONGINVM de altero, non de priore, ſcripſiſſe arbitretur. Num alii, praeter hos, ab ea ſteterint opinione, nos quidem praeterit. Nec video, quid interſit, horum ſcire nomina. Quod ſi autem verum eſt, quod nemo dubitat hodie, ad riſum omnia in LVCIANI *Dialogo*, PHILOPATRIDIS nomine inſcripto, eſſe compoſita, ſacraque chriſtiana profanum, quisquis demum fuerit, exagitaſſe hominem: non erit infitiandum, hoc eius iudicium, quod de Moſeis verbis tulit, illuc etiam, idque cum maxime, pertinere: *ἦν φῶς*, ait TRIEPHON, *ὃ λύει τὸ σκότος, καὶ τὴν ἀκοσμίαν ταύτην ἀπήλασε, λόγῳ μόνῳ ῥηθέντι ὑπ' αὐτοῦ, ὡς ὁ βραδύγλωσσος ἀπεγράψατο.* (**) SHVCKFORDVS certe, Anglus clariſſimus, hac non improbabili ducitur ſuſpicione, et MOSEN pariter ac LONGINVM grauiter tuetur. (***) In eo autem ſibi, vt videtur, verba dedit, quod

 iſtum

(*) שמעו שמים Cap. I, 2. Admittimus hic *ſublime rhetoricum*, quod figura, *προσωποποιΐα*, parit. Riſu etenim excipiendus R. MAIMONIDES, qui, philoſophia Ariſtotelica eruditus, coelis ac ſideribus intelligentes attribuit animos, quibus *proprie* capiant dicta. Namque in libr. *More Neuochim*, Part. II. Cap. V. fol. 84. col. 2. hoc diſerte ponit ac fuſe demonſtrat principium: אמנם שהגלגלים חיים ומשכילים רצה לומר משיגים זה אמת כבר בא גם כן מפי התורה; *Sidera vida eſſe et intelligentia, hoc eſt, mente percipere, veritas eſt, quae ex Lege etiam confirmari poteſt.* Add. IDEM in *Madda Hilchot Jeſode Hatthora*, C. III. §. 9. fol. 5. col. 2. Ex hac autem conceſſione noſtra, τὸ ὕψος Moſeum, cui nos hic aduocationem praeſtamus, nihil capit detrimenti.

(**) Euolu. LVCIANI Opp. Tom. II. p. 999. ex edit. IO. BENEDICTI.

(***) Lucian *ſeems to ridicule this very Paſſage ſo judiciouſly admired by* Longinus. *No underſtanding Reader of* Moſes's *Wri-*

iſtum DIALOGVM ad LVCIANVM, Samoſatenſem philoſophum et Atticiſtam elegantiſſimum, retulit auctorem: ſecus atque ingenioſiſſimus ciuis eius, WALTHERVS MOYLE, eques Britannus, non ſpernendis rationibus ante aliquot annos demonſtrauit. (*) Sed dudum iam eximiis ingenii defaecati viris, multis patuit indiciis, temere et ſine vlla cauſſa LVCIANO, auctori eleganti, libellum hunc eſſe adſcriptum. (**) Hanc quidem controuerſiam, quum parum faciat ad inſtitutum noſtrum, nec multum iuuet Magnae Decus Britanniae, cauſſam diuini hiſtorici ac rhetoris profani praeclarius acturum, dimittimus, remque ipſam, de qua agitur, vnice ſpectamus.

## §. XXII.

NON BOILAVIVS, non alius, meus erit. Omnes eorum, qui MOSI AC LONGINO adfuerunt, rationes haud ſegniter inſpexi, et ſeuerius mecum retractaui, ſed eas ſic inficetas interdum, et ſale vacuas deprehendi, vt ex leuiſſima hoſtium armatura melius de copiis ſuis celeberrimos aduerſarios iudicare coepiſſe, haud equidem admirer. Illos, qui bonae cauſſae fauerunt, non tam armis, quam dexteritate iis vtendi, caruiſſe, intellexi. At veneror etiam ingenium et doctrinam eorum, qui rhetori male cupiunt; ſed magis tamen ſuſpicio veritatem. Id mihi volo, ex earum hanc numero cauſſam eſſe, quae, quum diſtinctius cognitae haud ſint, omnem prope ornatum ex patroni et aduerſarii ingenio mutuantur. Rationibus quidem vtraque pars eſt munita: neutra vero iis, quibus, ex rhetorice et ſana philoſophia petitis, omne poſſit confici negotium. Verus orator neque hac, neque illa carcere poteſt, ſi eſſe vult, qui videri cupit. Philoſophi

*tings can be inſenſible, that he was in truth, what St. Stephen ſtyles him*, mighty in words, Act. VII, 22. Vid. *liber indicatus*.

(*) Vid. *The Works of Walther Moyle*, Lond. CIƆIƆCCXXVI, 8. vbi p. 388. *Tis ſo infinitely, below the wit, the Spirit, and the Politneſs* of that matchleſs writer, *that't is ſtrange ſo learned and diſcerning a Critick as* DR. BVLL *coud once think of fathering it upon him.* Conf. p. 292. et 362.

(**) Vid. FABRICII Biblioth. Graec. Vol. IIII. cap. XVI. p. 504.

Digitized by Google

ſophi quis ornare ſpartam valet, ſi ſibi ſapere, nec cum aliis ſapientiam ſuam communicare decreuit. Orator autem ſine philoſophia nemo eſſe poteſt: namque orator, hoc vere dignus nomine, loquens eſt philoſophus, qui cogitata ſua ornate, hoc eſt, perſpicue, apte varieque patefacit. In vtraque ſcientia quum iuxta eruditus eſſet LONGINVS, ei ſatisfactum, opinor, erit, ſi vtriusque ſcita admittamus, pro illo verba facturi. Eius vero aetate quum ars meditandi, et ſua cum aliis cogitata communicandi nondum illud, quod hodie, conſequutum eſſet faſtigium: nos id operam daturi ſumus, vt, quod is ex aeui ſui vitio neglexit, noſtra nos ſarciamus induſtria. Omnes enodabimus ideas ac notiones, fidem ſuperius datam liberaturi. Logicam ſequemur, quam hodie amamus eruditi, accurationem, et ſingulas res definiemus circumſcripteque complectemur. Vox ΥΨΟΣ, *altitudo, ſublimitas*, proprie ad philoſophiam pertinet, quae *quantitates* conſiderat, hoc eſt, ad *matheſin*, et eſt tertia corporis phyſici dimenſio, quae linea perpendiculari a vertice ad baſin demiſſa menſuratur. Conf. Eph. III, 18. Ab hac vero vocabulum in philoſophiam *qualitates* contemplantem transferri ſolet: in qua *genus* ſublime *ens* eſt, nec non *cauſſa* quaedam ſublimis, *effectus* ſublimis, *finis* ſublimis ac *medium* ſublime, obtinere poteſt. Haec tota *ſublimitas philoſophica*, in ſe ſpectata, vel *naturalis* eſt, hoc eſt, in ipſa rei aut perſonae natura et eſſentia ſita: vel *moralis politica*, quae ex variis externis praerogatiuis exſiſtit, quibus ſublime inter homines pretium ſtatuitur. Illa in Deum cadit ſola, cuius natura, eſſentia, et, quae ad ipſam pertinent, attributis nihil in hac rerum vniuerſitate maius et ſublimius fingi poteſt: haec vero in rebus tantum humanis locum habet. Vtramque, fieri poteſt, vt aut is, qui poſſidet, aut alius de eo loquens vel ſcribens, animo ſibi concipiat. Infinitam, exempli gratia, potentiam, aut Deus, qui vnus ea valet, intelligentiae ſuae finium experti eo repraeſentat modo, qui omnes perfectionis numeros in ſe habet: aut homo, isque in primis philoſophus, eamdem ſibi concipit mente, ſed non niſi imperfecte, hoc eſt,

quan-

Digitized by Google

quantum ad poſſibilitatem attinet, licet huius modum ac rationem, vtpote quae finitum ſuperat captum, ignoret.

## §. XXIII.

AD *νόησιν* ſi accederet eloquutio, Deus haud dubie, ſi vellet, de ſe ac virtutibus ſuis quauis re creata perfectius dicturus eſſet. Sciscunt autem philoſophi, *infinitatem* earum a finito intellectu comprehendi minime poſſe. *Potentiam*, *ſapientiam*, *ſcientiam*, virtutes has omnes, ab homine abſtractas, nos capimus homines, verum easdem *infinitate* auctas non capimus. *Infinitas* eſt notio *negans*, quae non poteſt non obſcuritate laborare. Ideam vero *aientem*, quam et *poſitiuam* dicunt, *eſſentiae diuinae* nemo intelligit mortalium. Hominis, qui aut oratoris aut ſcriptoris partes obit, officium eſt, primum cogitare, deinde ſcribere ac loqui. Cogitatio ſiue *νόησις* rei aut perſonae, neceſſe eſt, conſentanea ſit. Cum *νοήσει* conueniat eloquutio. Cogitatio, quam de magna quadam re aut perſona ſuſcipimus, exilis eſſe nequit. Ex quo conſequens eſt, vt nec eloquutio, *τῇ νοήσει* quippe omni ex parte accommodanda, exilis ac tenui filo, vt cum AVSONIO dicam, hic eſſe debeat (*). Vt ludibrium is merito prudentibus deberet, qui columnas Corinthiacas illuſtribus praedii ruſtici aedibus adaptaret: ita in frigidum incidit acumen, quod et *le Froid* et *le faux brillant*, et *le faux merueilleux*, rhetores hodie Galli appellant, (**) qui de rebus nihili excelſa magnificaque verba facit. Quanto quis maiori numero et loco eſt, tanto ſublimius de eo cogitandum et loquendum. Ergo ex ſublimi cogitatione ſublimis exoritur eloquutio: *τὸ ὕψος τῆς νοήσεως* cauſſa et auctor eſt *τοῦ ὕψους ἐν τῷ λόγῳ*. Sumtiones has eſſe puto ita aequas, vt a nemine in dubium iure vocentur. Hoc porro *ὕψος*, quod *in verbis* ſitum eſt, in *rhetoricum*

(*) Orationi etenim *ſublimi* opponitur *humilis*, quae humi quaſi reptare dicitur Hinc ingenioſiſſimus Magnae Britanniae ſatyricus, D. SWIFT, ei, quod τὸ Ὕψος dixit *Longinus*, τὸ Βάθος oppoſuit, in libello Anglice ſcripto, *περὶ Βάθους* ſ. *Antilongin*: qui bis, quod equidem ſciam, vernaculo prodiit ſermone, hunc indicem prae ſe ferens: *die Kunſt in der Poeſie zu kriechen*.

(**) LAMY Art de parler, Liv. IIII. ch. VIIII.

Digitized by Google

*ricum* ac *metaphyſicum* diuido. *Illud* ad res ſolas pertinet humanas, quae ſublimes eſſe iudicantur. Eiusmodi μεγαλοπρεπὲς et *verba* requirit lectiſſima, et *ſententias* acutas et graues atque a rebus grandibus petitas, ac denique *figuras* et *ſchemata*, quae animos excitant, et ſplendorem conciliant orationi. Locum hoc habet grande in orationibus et carminibus in laudes illuſtrium hominum compoſitis: exſulat vero in ſtilo hiſtorico, quem ſimplicitas decet. Fac autem, magnos atque excellentes viros inducturum loquentes eſſe hiſtoricum; id quod LIVIVM, CVRTIVM, TACITVM, et alios feciſſe nouimus; anne hic fas erit, orationem adhibere tenuem? Ecquis non intelligit, eiusmodi orationes grandem dicendi rationem cum maxime decere. Haud equidem ſum neſcius, diſputatum noſtra eſſe aetate, num conſentaneum ſit, orationes inſerere hiſtoriae. Lis haec vllo ſine negotio componetur, ſi ſumatur, dictos ſcriptores illis in locis non tam hiſtoricos, quam ciuiles oratores, ſe exhibere voluiſſe. Non dico, eos propoſito ſuo, pro eo ac decuit, vbiuis ſatis feciſſe: nec vitia, quorum a viris doctis, non inuita veritate, poſtulantur, excuſo. Id vnum ago, vt ex fine, quem ſibi propoſuerant, eorum metiar dictionem. Dum viros in magna dignitate conſtitutos introducunt loquentes, hoc ipſis conſtitutum erat, vt *politico* ſiue *ciuili* ſtilo vterentur, qui ab oratorio non niſi eo diſcrepat, quod, praeter grauitatem et acumen, *Atticam* amet *breuitatem*. Vnde ex illis orationibus vera ciuilis dictionis idea optime addiſcitur. Sed explicatius dicam, ex quo iſtud oratorium ὕψος naſcatur. Paucos ego noui, qui principium oratoriae artis, ſeu id, quod in ea pulchrum et elegans eſt, quin id ipſum, quod eam, quam late patet, totam conſtituit, cum cura praeceperunt. Celeberrimus AVCTOR ARTIS COGITANDI (*) voces



(*) Hic non eſt ARNALDVS, nec P. NICOLIVS, ſed LE BON, ſecundum *Menagiana* Tom. IIII. p. 141. et *Memoires de Litterature*, Tom. I. p. 221. Attamen GIBERTVS, Profeſſor Pariſinus, Tomo III. A. CIↃIↃCCXVIIII edito, p. 211. 222. et 257. NICOLIVM nominat auctorem. Exinde alterum alteri adiutrices manus praebuiſſe, ingenioſe diuinat Celeb. C. A. HEVMANNVS, in *Conſpectu Reip. Lit.* p. 184.

Digitized by Google

voces mihi ſuppeditabit, quibus hac in re vtar: at rem ipſam meopte iudicio enodatam oculis exponam lectorum. Id quod in oratoria arte pulchrum dicendum, *ideae acceſſoriae* conſtituunt, quae, praeter *principales* ideas, nonnullis vocabulis et loquendi modis adhaereſcunt, et plerumque aut *motionem quamdam animi* declarant, ἐμφατικαὶ eam ob cauſſam merito dicendae, vt *contemtum, amorem, modeſtiam, iocum*: aut *eminentiam* aliquam, quam menti noſtrae ſeu bene ſeu male ratiocinanti debemus, inſinuant. Cuiusmodi *acceſſoria eminentiae idea*, in *rhetorico* quidem *ſublimi*, et *verbis* et *ſententiis* et *ſchematibus*, alligata eſſe debet. *Metaphyſicum* contra ſublime ad Deum ſpectat vnum, et res diuinas. Nihil eſt ſublimius, nihil excellentius diuina natura. Eius enim ſublimitas atque excellentia in infinitate poſita eſt, quam ipſa ſola poſſidet. Quo propius aliquid ad naturam accedit diuinam, eo iſtud excellentius eſt. Vt quodque maxime a diuinitate recedit, ita humile, abiectum, infimum cenſendum erit. Itaque ſi homines ſe resque ſuas verbis augere atque euehere cupiunt, nulla id commodius ratione fieri poteſt, quam petita ab eximiis Numinis virtutibus eloquutione. Hinc orta eſt Αὔξησις illa, in ſacris, et aliis cultioribus linguis vſitatiſſima, qua id, quod in rebus creatis eximium et magnum eſt, *diuinum* dicitur. (*) Ad DEVM autem ſublime huiusmodi rhetoricum haud quadrat. Vndenam hoc petendum eſſet? A rebus, quae aut in opificio mundi, aut in rebus humanis, magnae cenſentur? Hoc eſſet, de Deo, quo nihil ſublimius excogitari poteſt, humiliter loqui. Nil adduci, collectis omnibus viribus, magnum poteſt, quin ipſe infinito maior ſit interuallo. Quare, rationibus circumſpectis omnibus, ita demum concludo: doctrinam de Deo et virtutibus diuinis philoſophi ad Metaphyſicam ſapienti conſilio retulerunt. Ergo νόησις de Deo humana tunc erit ſana, ſi huic conſentanea erit. Itaque *ſimplicitas dictionis Metaphyſica* Deo vnice digna putanda. Ideae de Deo ſunt hae: *Deus eſt cauſſa omnium rerum efficiens,*

(*) Vid. Diſſ. *de Vſu et Abuſu* Ἀυξήσεως *nominum diuinorum ſacrae*, quam reu. PRAESES ſuae *de Parentheſi Sacra* Commentationi ſubiunxit, p. 143. ſ. exemplis etiam Graecis Latiniſque illuminatam.

*efficiens, ex nihilo fecit naturam, eſſentiam habet infinitam, omnia ab eius pendent nutu imperioque, quantum et ad exſiſtentiam et eſſentiam, et ad vtriusque conſeruationem attinet, ipſe vero pendet a nulla re alia, ens eſt neceſſarium*, et reliqua eiusdem generis. Ex quibus effici cogique poteſt, ὕψος ad *diſciplinas*, et ſigillatim ad *rhetoricam* pertinens artem, Deo prorſus indignum eſſe, idque non *in verbis* oratoriis cothurnis incedentibus, ſed in *ſimplicitate* dictionis, ſuae maieſtati conueniente, hoc eſt, *metaphyſica*, quaerendum.(*) Q. E. D.

## §. XXIIII.

CONVERTAM, quae poſui, principia in rem meam, et rationes omnes ad calculos reuocabo. MOSES hiſtoriam deſcripſit creationis, operis vere diuini, §. I. Narrauit *lucem* primam conditam, et conſequutam *terrae* formationem, §. XI. Vtramque rem diuina perfecit potentia, §§. XIIII. XV. XVI. Eloquutio Moſea vere eſt metaphyſica, hoc eſt, Deo digna et nulla figura humili conueſtita, §§. II. III. XIIII. Ergo in ea datur ὕψος diuinum, §. XXIII. Τὸ ὕψος diuinum *in ſtilo elucens* anteceſſit τὸ ὕψος τῆς νοήσεως a MOSE conceptum, §. XXII, quippe quod, ipſa cogente natura, non poteſt non praecedere, §. XXIII. praeſertim in ſcriptore intelligente, et cogitationum ſuarum, dum ſcripſit, conſcio. Iam vero MOSES fuit philoſophus, illis temporibus maximus Act. VII, 22. (**)

 isque,

(*) Videtur BOILAVIVS, ſi rem bene putes, nobiscum conſentire, inter *ſtilum ſublimem* et inter *ſublime* diſtinguens. *Sublime* is vocat, quod nos *ſublime philoſophicum* dicimus, et, cum *in re* ac *voce*, tum *in dictione*, admittimus. Hoc adſciſcit et ROLLINVS. Negat vero, nobis ſecundis, in Moſea hiſtoria *ſtilum* ineſſe *ſublimem*, hoc eſt, τὸ ὕψος *rhetoricum*; ſicut nobis placuit loqui. De reliquo, nobis, nec opinantis, nunc demum accidit, vt paucis quidem, at claris verbis in *diuino imperio* τὸ ὕψος ſtatuerit CAR. quaerat ROLLINVS, vir elegantis ingenii, et idoneus hac in cauſſa iudex et arbiter, in ſcriptione hoc indice inſignita: *La Rhetorique où les Regles de l'Eloquence*, à Paris, CIↃIↃCCXXX, 12. p. 588.

(**) Legi merentur, quae IO. PRIDEAVX, *Opp. Theol.* Tiguri A. CIↃIↃCLXXII formis deſcriptorum de hoc loco diſputauit, p. 441. ſ. Conf. c. ANNI *Exercitatt. Exeget.* Exerc. II. p. 92. ſ.

Digitized by Google

isque, non fanatico quodam ſpiritu actus, hiſtorias ſuas in litteras retulit; id quod pro conceſſo ſumo, quoniam ἐνθουσιασμὸν, ab antiquis haereticis, *Montaniſtis*, vt creditur, et *Priſcillianiſtis*, diuinitus eruditis hominibus adfictum, idonei ſacrorum oraculorum enarratores iam pridem proſcriptum iuerunt. His praefultis ac praemunitis, *duo* hic ponere licet: aut Deus inſpirans ad νόησιν MOSIS natura notam, quam, veritati quidem congruentem, de potentia diuina generatim, vt philoſophus, conceperat, ſeſe adcommodauit; quemadmodum et ad eius dictionem ſemet applicauit et demiſit: aut vir diuinus ex inſpiratione S. SPIRITVS hanc de lucis creatione cogitationem accepit omnem. *Alterum* mihi dari flagito, eo quod theologorum, qui iudicio omnia ponderant et ſcrutantur, nemo vnus hac de re dubitat. *Prius* Deo indignum haud eſt; quandoquidem, quoties *de ſe ipſo* ad nos loquutus eſt homines, non infinitae ſuae, ſed finitae noſtrae, νοήσει verba aptare ipſum oportuit. *Vtrum* vero adſciſcas, huic locum conſequutioni relinquere haud recuſabis: ergo MOSES, auctor ſacrae de orbe condito hiſtoriae a Spiritu diuiniore actus inſpiratusque, diuinam, in quantum nempe ſapienti licuit homini, potentiam digne et mente concepiſſe et eloquutus eſſe, ſecunda veritate, dicitur. Q. E. D. Iam vero LONGINVS, vt eximius rhetor et philoſophus, §§. XVII. XVIII. XVIIII. qui MOSIS ſaltim veſtibulum primi ſacri codicis libri legiſſe videtur, §§. VIII. VIIII. licet ſemi eum chriſtianum fuiſſe inde non concludendum, §. X. hoc modo de MOSIS enarratione cenſuit, et ſuum de ea iudicium luculentis verbis expoſuit, §§. IIII. V. VI. VII. XII-XVI. Ergo ſequitur, veriſſime iudicaſſe LONGINVM. Q. E. D. Vt adeo, ipſa iubente veritate, iis nos amici ſimus, qui LONGINO bene cupiunt, §. XX. atque aduerſarii eorum, qui ab illius diſſident opinione.

## §. XXV.

QVAE quum ita ſint, palmam, quae adhuc in medio poſita fuit, nobis deſponſam iam et deſtinatam eſſe, demonſtrabimus, copias hoſtium omnes ad internecionem vsque proſtraturi. Ea, quae nobis obiiciunt HVETIVS atque CLERICVS, Duumuiri reip. litterariae conſtituendae, colligemus, et reſpon-

[illegible] verſabimur. Vrgeant, ſublime non pertinere ad hiſtorias et ſimplices narrationes, quarum etiam in numero initium τῆς Γενέσεως habendum ſit. Quod ſi in Pſalmis Dauidicis eadem legerentur verba, vti Pſalm. XXXIII, 9. ſimilia leguntur, locus ipſe iis ſublime quiddam vindicaret. Sed poteſt etiam in hiſtoria interdum *ſublime* obtinere, idque *Atticae* quadam *breuitati* iunctum, §. XXIII. Atque hoc diuinum ὕψος eſt, ſicut Deus ipſe, mutationis expers, quoniam ei eſt naturale et eſſentiale, §. XXII. Igitur ſiue in carmine, ſiue in ſoluta exſtet oratione, perinde erit. Quare quum idem ſtilus in poetico viri eiusdem diuini ſcripto inueniatur, id ipſum argumento nobis eſt, Moſeum ὕψος inexpugnabile quodam robore e Deo communitum eſſe. Fruſtra ſunt, qui de ſublimi diuinum cogitaſſe hiſtoricum negant. Non enim de minutiis hic cogitauit rhetoricis, ſed de magna et ſublimi re, quam digne expreſſit, §. XXIIII. Tantum abeſt, ita pergunt aduerſarii, vt ſublimis ſit eloquutio, vt ea potius nihil ſit vſitatius, nihilque familiarius: *ſit lux! et fuit lux.* Excitant loca pro ſe, Exod. VII, 19. 20. VIII, 16. 17. VIIII, 22. 23. XVII, 8. 9. 10. Matth. VIII, 9. vbi centurio ille: *ſi quem eorum, quibus praeſum, militum, ire iubeo, it: ſi alium venire, venit: ſi ſeruum meum aliquid facere, facit.* Add. Cap. VIIII, 9. Ioan. VIIII, 7. 11. Sed repetantur hic, quae §. XIIII. iamiam praecepimus. Non quaerimus τὸ ὕψος in externa dicendi forma, ſed in rei ac perſonae ſublimitate, cui et tota Moſea dictio reſpondet. Nullum in obiecto nobis exemplo τῆς ποιήσεως ὕψος: in eo multus eſt centurio, promtiſſimum vt militum ſuorum commendet obſequium, quo nihil erga ipſum ſanctius habeant. Vile hoc quiddam et abiectum eſt, eamque ob cauſſam humili ſermone prolatum. Non genius aliquis linguarum ſacrarum infimum in rebus vilioribus ſtilum exigit, verum in familiaribus ſermonibus, quacumque lingua inſtituantur, idem obtinere ſolet. Sic narrare ſolemus alteri: *herus dixit ſeruo: adfer mihi pallium; et ſeruus ei attulit pallium.* Quid familiarius vſuque tritius eſt, quam quod dicere poſſim: *quum exirem, pediſſequis dixi: ſequimini me; et illi ſequebantur me. Rogaui amicum, vt mihi equum ſuum*



Digitized by Google

*daret mutuum; et dedit mihi mutuum.* Vulgares hae ſunt narratiunculae et ex triuiis petitae: hinc et quotidianis verbis conceptae. Oratio illa, cui nos hic ſuppetias ferimus, toto ab hoc genere diſiuncta eſt. Deme, abiice ſublime, et, verba haec eſſe iube: *et Deus fecit lucem; et Deus produxit terram;* tunc vinces cauſſam. Euolue, ſi commodo quidem tuo facere poſſis, FL. IOSEPHVM, atque hunc cum MOSE compara: et diſcrimen tibi celerius apparebit opinione. Quaeſiuerunt, qui a nobis auerſi ſunt, quid hiſtoricum a Deo doctum impulerit, vt alia eiuſdem capitis exempla omiſerit. *Sic placuit:* nos reſpondemus. Non ideo excluſit reliqua: verum haec tamen bina praetulit, partim quod primus ſtatim adſpectu vidit, partim quod *ſublimem* inprimis continent *breuitatem.* Sollemne eſt ac tritum MVHAMMEDI, Deum laudanti, et, eum velle aliquid dicturus, hac vtitur eloquutione: *dicit; ſit; et fuit.* Ill. nimirum HVETIVS, formulam hanc ſpectans Arabicam: كُنْ فَيَكُونْ et inde praeſidium capit τὸ ὕψος Moſeum in dubium vocandi. Verum ſurripuit λέξιν, vt fere ſolet, ex Chriſtianorum libris ſceleratiſſimus impoſtor. Idem ergo Praeſul ille magnus, dum ex MVHAMMEDE MOSEN explanat, mihi videtur agere, quod is faceret, qui ex P. A. F. MANVTII epiſtolis, quem CICERONEM ita ſuperſtitioſe imitatum nouimus, vt ſaepe menſes aliquot vni epiſtolae impenderit, CICERONIS de natura deorum libros explicandos ſibi ſumeret. In eiuſdem vitii ſocietatem illi veniunt, qui Graecam N. T. φράσιν ex Graecis Seruatore iunioribus illuſtrant, quos tamen furto ſe obligaſſe, et ſacros loquendi modos et formulas ex diuinis orbis chriſtiani ſcriptis abſtuliſſe conſtat. MVHAMMED ex MOSE ſumſit modum dicendi: grande quiddam, vt equidem diuino, in eo exſplendeſcere animaduertit, quod in rem ſuam conuertit hoſtis CHRISTI, quo nullum temere capitaliorem Sacroſancta noſtra experta eſt religio. Idem vero etiam neruos exſecuit τῷ ὕψει Moſei, dum, rem enarrans eamdem: *laus ſit Deo,* ait, *qui creauit coelum et terram,* وَجَعَلَ ٱلظُّلُمَاتِ وَٱلنُّورَ

et CONSTITVIT *tenebras ac LVCEM*. (*) A MVHAMMEDE ac Turcis ſi petenda ſit Sacrarum Litterarum explanatio, in noſtris codicibus Ioan. XVI, 7. pro παράκλητος legendum erit περικλυτός (**). Quatuor ſublimitatis *genera* P. D. HVETIVS, conſentiente CLERICO, conſtituit: *ſublime terminorum, figuratae expreſſionis, cogitationum*, ac denique *rerum*. Ex his vltimum diuino reliquit hiſtorico. *Bina priora* rhetoricae ſibi vindicat, neque adeo ad diuina, quae a MOSE narrantur, opificia pertinent, §. XXIII. *Tertium* vero et *quartum* homini diuinitus excitato iam vindicatum iuimus, §. XXII. et XXIIII, atque cum hoc vtroque *ſublimis expreſſionis philoſophicum ibidem* coniunximus. Huc quum LONGINI ratio valuerit: andabatarum more viri pugnant litterati, qui aliam ei mentem adfingunt, quo habeant, quem oppugnent. Tum vero cauſſam rei non perſpiciunt amplius, quum ad dimicationes ventum eſt: quocirca, hac relicta, de nugis inter ſe pugnant, quibus mira dicacitate pondus addunt, et, ſecus, atque litteras noſtras et profeſſionem decet, ſic indulgent conuiciis, ac ſi ex Menadum eſſent numero, quae in BACCHI orgiis olim tumultuabantur. BOILAVIVS aduerſarios ſuos, et hi ipſum viciſſim, tot mordent et laceſſunt calumniis, ac ſi mercede ad id conducti eſſent. *Vix Priamus tanti, totaque Troia fuit*. Ille *Huetianam* pietatem vocat in dubium, et CLERICO obiicit *Caluiniſmum* et *Sociniſmum* (***). Hic BOILAVIVM cauillans et irridens mox *poetam*, mox *vatem ſatyricum*, mox denique *poetam* vocat *declamatorem*, et eius amicos *Ianſeniſtas*, in quibus occulti reperiantur *Spinoſiſtae*, qui, SPINOSAE exemplo, rerum omnium neceſſitatem introducere laborent. Alia conuicia de induſtria praetereo tacitus;

XII

(*) ALCORAN. Sur VI, v. I. *edit. Maracc.*

(**) Vid. ED. POCOCKII *Specimen Hiſtor. Arab*. p. 185.

(***) IO. CLERICVS, qui in Amſtelodamenſi Remonſtrantium Gymnaſio hiſtoriam ſacrae ciuitatis a multis iam inde annis profeſſus eſt, numquam quidem ſectae, quae a SOCINO nomen habet, nomen publice dare voluit, at eius tamen, cum variis ſcriptis, tum maxime *epiſtolis theologicis*, indice LIBERII DE S. AMORE inſignitis, et CIↃIↃCXCII in lucem emiſſis, ſuſpectum ſeſe reddidit,

Digitized by Google

vt quum *Huetiani* amicos BOILAVII omnes modo *globum hominum, quem aduerſus* HVETIVM *in aciem producant,* (*) modo exilem *turmam ſatyricam* (**) contemtim nominant. Qui a poeta ſunt, hominem appellant CLERICVM, cuius conclamata ſit religio. Ego vero conſultius duco, ad haec, quae ab inuidia vtrimque ducuntur, argumenta nil reſponſare, verum ſilens ab iis reuertor et re inorata. Quod tacitus hic mecum voluo et retracto, illud e. : malim equidem indiſertam prudentiam, quam ſtultitiam loquacem. (***)

§. XXVI.

MAXIMVM arietem vltimae incuſſioni atque impetui reſeruauimus diſſipandum, in quo rationem ſalutis omnem et fiduciam adhuc poſuerunt, qui Oratori noſtro male cupiunt. Sciſcunt nimirum et vociferantur, LONGINVM, ea ipſa opera, qua Moſeae elegantiam orationis extulerit, excellitatem atque excellentiam Numinis depreſſiſſe, atque haud parum declarauiſſe luculenter, ſe nec mentis humanae humilitatem, neque vero diuinae maieſtatis altitudinem, ſatis habuiſſe perſpectam. MOSES de Deo, ita pergunt, ſicut de homine loquutus eſt, qui os habet, quo certa quaedam verba protuliſſe dicitur: nonne igitur hic latet ἀνθρωποπάθεια, humano quidem captui accommodata, ſed longe infra diuinam maieſtatem poſita? Sed reſpondimus ad hanc dubitationem §. XIIII. atque negauimus, ab humana petitam natura Moſeam eſſe eloquutionem, qua diuinae actus voluntatis declaretur. Diuinus ſcriptor ait: *Deus iuſſit,* et modum iuſſus ac imperii diuini, de infinite potenti Dei ad lucem efficiendam applicata voluntate, ea vult ratione intelligi, quae Deo digna eſt, quamque ſana docet philoſophia. Sublime caderet, ſi iisdem infimis verbis, quibus alibi de Deo homines vtuntur diuini, hic etiam ſacer loquutus eſſet hiſtoricus. Verum quum ſine huiusmodi, et alia rhetorica figura, τοῦ ὕψους indice, de Deo lucem creante, dignam diuina potentia νόησιν mente ſibi repraeſentauerit MOSES, qua quidem ratio hu-

mana

(*) *A quoi bon donc cette Kyrielle de gens, qu'ils veulent faire ici eſcadronner contre Mr. Huet.* p. 363.

(**) *Le petit bataillon Satirique* p. 364.

(***) Cic. de Orat. Lib. III. c. XXXV.

Digitized by Google

mana, ſi ſana et culta eſt, eam ſibi repraeſentare valet; quum porro verba, orbis opifici, quae eius vnius decent maieſtatem, ipſo inſpirante Deo, adaptarit: conſequens eſſe puto, vt τὸ ὕψος diuinum in hiſtoria MOSIS omni vacet controuerſia. Concedit mihi, quod volo, ill. HVETIVS, in his, quae ſeſe mihi, nec opinato, dederunt, verbis: *Moïſe s'eſt donc exprimé* EN PHILOSOPHE, *non* PAS EN RHETEVR, *quand .. dit, que Dieu a creé la Lumiere, par ſa parole* (*). Adeſt igitur ἰσχνότης ſeu *tenuitas rhetorica*, et *ſublimitas philoſophica*. Sed ſatisfecit etiam plana ſua et illuſtri breuitate officio hiſtorici. Poterat terminos philoſophicos, vt hodie Metaphyſici ſolent, de re diuina adhibere, et obſcurius loqui. Verum vt claram de poſſibilitate notionem animo conceperat, ita eam exprimit perſpicue; praeſertim quum et eruditis hominibus, et multitudini, patere decreuiſſet. Non patitur Deus, quo nihil ſublimius fingi poteſt, rhetoricum ſublime, ſed philoſophica dictionis ſublimitas vna Numini conuenit. Ipſi olim rhetores, qui in philoſophia non erant plumbei, faſſi ſunt, de grandibus rebus ſimplici ſtilo dici poſſe; vt DEMETRIVS PHALEREVS. (**) Quam eloquutionem niſi ad ψυχρὰς referre velis, hanc philoſophicam ii ſublimitatem, ad Deum resque diuinas pertinentem, aut ab his ad illuſtres inter homines perſonas translatam, ſpectaſſe dicendi erunt. Hanc intellexit idem LONGINVS et ante oculos poſitam illo habuit in loco, quo de diuina lucis creatione a MOSE narrata iudicium tulit. Hinc νόησιν iis tribuit excelſam et ſublimem, hoc eſt, diuinam, quam de ſe, vt diis inter mortales homines, exemplo ſolius Immortalis Dei, concipiant; ad quam exprimendam non neceſſario *ſublimitas rhetorica*, id eſt, *verbalis* requiritur, ſed *realis* ſufficit, qua vel vni ſimplici verbo magna, qua valent, auctoritate pondus addunt. Idem rhetor noſter ſublimitatem *eccho magnitudinis* appellat *animi*. Vt enim ſaxa et ſolitudines voci reſpondent: ſic verba excelſae menti ſublimia. Atque haec vbi praecepit, exemplo τὸ ὕψος illuſtrat ALEXANDRI, cui res geſtae MAGNI cognomen pepererunt. DARIVS, quum tot cladibus debilitatum ſeſe, resque ſuas

H deſpe-

(*) p. 349. *Opp. Boilau.*

(**) Tm. LXXVII.

deſperatas ac deploratas videret, legatos ad ALEXANDRVM miſit, qui pacem peterent, offerrentque illi et DARII filiam et dimidiam regni Perſarum partem. Quas conditiones non aſpernaturus PARMENIO: ἐγὼ μὲν, dixit, ἠρκέσθην, εἰ Ἀλέξανδρος ἤμην. *Ego quidem eas acciperem, ſi eſſem Alexander*. At ALEXANDER: Κἀγὼ, reſpondet, νὴ Δία, εἰ Παρμενίων ἤμην, *et ego per Iouem, ſi eſſem Parmenio*. (*) Nonne hic animi magnitudinem Rex oſtentat Magnus? Nonne ipſi nomini ſuo *τὸ μεγαλοφροσύνης ὕψος* alligabat, et hoc vno ſimplici innuebat dicto, ſe maiores animos et ſpes, quam PARMENIONEM, habere, nihilque ſibi victoria partum videri, ſi quid pariendum ſupereſſet? Quaſi dicat: EGO ſum ille, qui mea dextra et armis meis victricibus, totum mihi orbem ſubiicere conſtitui; dimidium Perſici regni parum equidem moror: totum volo regnum: neque hoc tantum, ſed totum hunc, quantuſcumque eſt, qui certe maximus eſt, totum hunc, inquam, terrarum orbem volo meum eſſe. Rex fingit ſe Deum, ac totius orbis dominum.

## §. XXVII.

SIC et BOILAVIVS, elegantis poeta ingenii, in modo loquendi ſimpliciſſimo ſublime quiddam locum habere, planum facturus, exemplis rem illuſtrat, quae haud ſunt in medio poſita. P. CORNEILLE (**) feminam quamdam inducit, quae quum conflictui trium *Horatiorum* contra tres *Curiatios* interfuiſſet, ſed eius exitum non exſpectaſſet, ſeni HORATIO, Patri, celeriter nuntiat, duo ex filiis ſuis cecidiſſe, tertium vero, qui viribus reſiſtendi caruerit, fuga ſibi conſuluiſſe. Senex hic Romanus, amoris patriae plenus, glorioſam illam duorum filiorum iacturam lacrimis non proſequens, id vnum grauiter moleſteque fert, tertium filium ignominioſa fuga aeternum opprobrium Horatiano nomini ac genti intuliſſe. Sorori igitur, quae aderat, interroganti: *Que vouliez vous qu'il fît contre trois?* reſpondet excelſe, *qu'il mourût*. Mens viri huc redit excelſa: heros, qui inuictus moriatur, in deorum immortalium recipitur concilium; victum autem heroem prae-

(*) Vid. LONGINVS, p. 54. ſ. *edit. Toll.*

(**) Dans la Tragédie d'*Horace*, Act. 3. Scène 6.

praeſtat mori, quam viuere. Nam homo eſt mortalis, non Deus aliquis immortalis erit. Nemini longius petita haec videbitur explicatio, qui redierit mecum in memoriam, eam animis profanarum gentium inſediſſe opinionem, vt crederent, bonos daemones ſeu genios in magnorum hominum corporibus habitare, qui, re inter mortales bene geſta, dii fierent immortales. Teſtem rogo PLVTARCHVM, vt nunc alia omittam teſtimonia, de OSIRIDE et ISIDE, p. 362. hanc in ſententiam loquentem: Ὁ μὲν γὰρ Ὄσιρις καὶ ἡ Ἶσις ἐκ ΔΑΙΜΟΝΩΝ ἀγαθῶν εἰς ΘΕΟΥΣ μετήλλαξαν. *Oſiris enim atque Iſis e bonis geniis in deos tranſiuere.* Idem CORNEILLE, (*) Tragoediarum ſcriptor feſtiuus, MEDEAM, veneficam illam inſignem, introducit glorioſe dicentem, ſe, licet ab omnium orbata ſit auxilio et fauore, nihilominus viribus ab omnium ſeſe vindicandi hoſtium iniuriis inſtructiſſimam eſſe. Cui NERINA, qua familiariter vtebatur, haec dicit:

*Perdez l'aueugle erreur dont vous êtes ſeduite,*
*Pour voir en quel état le Sort vous a réduite.*
*Vôtre Païs vous haït, votre Epoux eſt ſans foi.*
*Contre tant d'ennemis que vous reſte-t-il?*

Reſpondet MEDEA:

*Moi.*
*Moi, dis-je, et c'eſt aſſez.*

In hac vna tenui vocula, MOI, excelſam, quam de ſe conceperat, opinionem ante oculos MEDEAM habuiſſe, nemo vnus eſt, quin confeſtim intelligat. Repraeſentat ſe ſibi ac NERINAE ſuae, vt deam, quae ſibi ſufficiat, neque alius cuiusdam indigeat patrocinio. Sicut Deus OPT. MAX. plana quidem dictione, ſed infinita maieſtatis ſuae virtute roborata, loquitur: ita ſummae, quae inter mortales Deum aliquem ſignificare cupiunt, perſonae diuinam et auctoritatem ſibi arrogant, et orationem. Pace igitur Dei haec dixerim, quae attuli, exempla: his enim non niſi eo hic locum conſilio eſſe voluimus, vt cauſſam, quam tuemur, iuuent atque illuſtrent. Vt adeo dubio vacet, res interdum magnas ſimplici dictione ſine vitio exprimi poſſe. Sane ſplendor et lumen verbo-



(*) Dans la *Medée*, Acte I. Scéne 4.

Digitized by Google

verborum non ſemper veras ac ſublimes continet res et cogitationes. SENECA vir eſt acutus, et magno idemtidem ſtrepitu verborum vtitur: haec vero ad iudicii exculti lancem expenſa non fulmina ſunt, ſed fulgur ex pelui, non extra dubium poſitae argumentationes, ſed contorta et aculeata quaedam ſophismata, quae cauillationes et captiones ipſe vocauit (*). In hoc idem notauit vitium, et cum eo MICHAELEM MONTANVM ac TERTVLLIANVM coniunxit NICOL. MALEBRANCHIVS, qui accurate et ſolide de his iudicauit (**). Nihil dicam de FLORO, nihil de BARCLAIO, nihil denique de PHILIP. LABBEO, quorum ampullae illud HORATII nos ſaepenumero iubent in memoriam reuocare:

*- - - amphora coepit*
*Inſtitui, currente rota, cur vrceus exit?* (***)

Ita verum eſt, quod BALSAC. cenſet: *l'eclat ne préſuppoſe pas toujours la ſolidité, et les paroles, qui brillent le plus, ſont ſouuent celles, qui peſent le moins.* (*)

## §. XXVIII.

VIDIMVS igitur, quanto conatu nihil egerint viri alioquin docti, qui ſuum eſſe duxerunt, eius, quod in Moſea creatae lucis ac terrae hiſtoria legitur, ſublimis neruos incidere, et fictam tenuitatem grandibus communire praeſidiis. Vſum ex hac exili pertractatione non plane nullum illi potiſſimum capient, qui dictionis ſacrarum litterarum dignitati ac maieſtati vindicias parant. Habent enim, quod iis, qui multa in oratione virorum diuinitus eruditorum deſiderant, non ſine eximia efficacitate opponant. Ego certe, quae ſcripſi, iis et ipſis litteris, et rectae rationi, et ſacrarum tabularum dignitati, conſulere volui. Nec dubito, quin omnes, qui incorruptae mentis lumine vtuntur, et qui, quid quamque rem conſequatur, quidue contrarium ei ſit, perſpiciunt, mecum conſenſuri ſint. Ceteris hominibus, res dabit ſeſe, vt facile reſponderi queat. Quod ſi qui, vigilias ſanctioribus ſtudiis deuo-

tas

(*) Epiſt. LV. et CX.

(**) *Recherche de la Verité*, Liu. II. Part. III. Cap. II. et III.

(***) de art. poet. v. 21.

(*) *Diſſert. Critiqu.* II. Tom. II. p. 520.

Digitized by Google

tas et conſecratas amantes, haec noſtra legerint, hiſequidem auctor ſum, vt prudentiam in rem ea ſacram conuertendi a Duumuiris, magnam nominis famam conſequutis, quos iam honoris cauſſa appellabo, addiſcant. IS. CASAVBONVS, (*) nonnullos Eccleſiae Romanae Cardinales, inque his R. BELLARMINVM, exſecrationis in S. SCRIPTVRAM poſtulans, quam ſuffragio ciuitatis chriſtianae deſtitutam cum Turcarum ALCORANO comparabat: *numquam opinor*, inquit, *id facturus, ſi tantopere verbi diuini maieſtatem eſſet admiratus, ac fecit olim Criticus inſignis, paganus tamen homo*, DION. LONGINVS, *cuius exſtat aureolus περὶ ὕψους libellus*. Sic IO. FRANC. BVDDEVS, (**) inclytus et meritiſſimus coetus noſtri theologus, idoneum LONGINVM nominat in hac cauſſa, vbi ſtili ſanctioris grauitas et maieſtas agitur, iudicem. Tum vero, recitato Rhetoris de MOSE iudicio: *non equidem neſcio*, pergit, *diſputatum non ita pridem fuiſſe, num* in verbis, *an* in rebus ipſis τὸ ὕψος, *quod* LONGINVS *hic deprehendit, quaerendum ſit. Mihi autem* in ipſa verborum ad rei grauitatem adcommodatione *id poſuiſſe videtur. Rem enim maximi momenti ita* MOSES *deſcribit*, vt ipſa ſermonis grauitas, et ſummam imperandi poteſtatem arguens, rei ipſi egregie attemperata, *plane diuinum quid, et minime vulgare indicare videatur*. Hoc eximii viri iudicium eiusmodi eſt, vt ea, quae maiori verborum ac rationum circuitu nos hactenus diſputauimus, omnia breuiter circumſcripteque complecti videatur.

(*) in Exercitatione ad Appar. Annal. p. CXLVIIII.

(**) In Inſtitut. Theol. Dogmat. Lib. I. Cap. II. §. XIIII. p. 139.

Digitized by Google

# ORNATISSIMO
# THEBESIO SVO
## S. P. D.
## PRAESES.

Bene de Sacris Litteris, nec male de rebus ſuis, promerentur, qui, operae ſanctioribus ſtudiis nauatae ſpecimina in Academiis edituri, in eam cum maxime incumbunt curam, vt diuinarum tabularum dignitati ac rationibus conſulant et proſpiciant. Hac enim, qua viuimus, aetate vel anceps ingenii certamen, in quod res quaelibet ſacrae adducuntur, incautos homines, nec opinatos, impellit, vt vniuerſam Dei cauſſam vocent in dubium. Surgunt hodie viri, et doctrina valentes, et eximium in erudita et litterata ciuitate nomen adepti, qui modo dictionem ſacram, modo ipſam coeleſtem veritatem, carpunt, rodunt, refellunt, contemnunt, delent vti placuerit. Quanto magis flagitat neceſſitas, vt in philoſophia et interioribus litteris ne plumbei ſint, qui theologi vocantur. Circumſpicienda nobis meliora ſunt auxilia, opes ac firmamenta diſſipaturis, quibus viri tam excellentis virtutis ſeſe vallant atque roborant.

Hoc vero Tu Tibi dictum eſſe putaſti, Ornatiſſime THEBESI. Teſtem hanc in rem me ipſum excitare poteris, cuius exili in colendis omnibus, quas Sanctior complectitur Diſciplina, partibus opera vſus es. Teſtis etiam TVA erit diſſertatio, quam, me praeſidente, tueberis, in verbis ſacri hiſtorici, quae lucis primae commemorant creationem, ſublime quiddam, et in cogitatione, et in dictione obuium, idemque in lite adhuc verſum, extra omnem dubitationem collocaturus. Nemo eorum, qui Te, ſecundo Marte, videbunt conflicturum, eruditi Academiae noſtrae ciuis Tibi negabit nomen. Ego vero, cui multis iam modis ingenium, pietatem ac morum caſtitatem probaſti, confido futurum, vt eccleſiae Domini, quae in patria Tua floret, ſalutaria quandoque praeſtes officia, et coeleſtem veritatem non voce modo ſcriptisque, ſed etiam re ipſa et factis tueare. Nec dubito, quin boni omnes, quos Tibi adhuc deuinxiſti, piis mecum votis Deum Optimum Maximum ſint imploraturi, vt ei, quod animi quodam augurio equidem praeſenſi ac diuinaui, euentum reſpondere iubeat. Vale, honores ab inclyto Philoſophorum ordine Tibi decretos feliciter cape, et ſecundis ſemper rebus vtere. Tum vero et me, Tui ſtudioſiſſimum, dum viues, ama. Iterum vale. Dab. in Acad. Lipſienſ.

A. D. VII. KAL. FEBR. CIϽ IϽCC XXXV.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google